Universidad de Deusto
Biblioteca

FUSTI MAG
ET TRIUMP
ROMANOR

Universidad de Deusto
Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca

937
G 57 h

FASTOS

MAGISTRATVVM ET TRIVMPHORVM ROMANORVM
AB VRBE CONDITA AD AVGVSTI OBITVM
EX ANTIQVIS TAM NVMISMATVM
QVAM MARMORVM MONVMENTIS
RESTITVTOS

S · P · Q · R ·

HVBERTVS GOLTZIVS HERBIPOLITA VENLONIANVS
DEDICAVIT

BRVGIS FLANDRORVM
AN · A CHR · NAT · M · D · LXVI

Universidad de Deusto
Biblioteca

SERIES EORVM QVAE HOC LIBRO CONTINENTVR.

Fasti Magistratuum & Triumphorum Romanorum.

Fragmentum antiquum marmoreum Triumphorum Romanorum.

Catalogus Consulum post Augusti obitum, vsque ad Iustinianum, vnà cum Triumphis.

De origine & statu Populi Ro. Magistratuumque Ro. initijs & mutationibus.

Animaduersiones in aliquot Fastorum locos.

Notarum & literarum singularium explicationes.

Index propriorum nominum, & rerum quæ in numismatibus cùm leguntur tum spectantur.

Index alter Magistratuum, Triumphorum, aliarumque rerum, quæ in Tabellis Fastorum leguntur.

FRONTISPICII EXPLICATIO.

SPECTATORE ROGANTE, RESPONDENTE GOLTZIO.

Qvæ, Goltzi, Nymphe sedet hîc venerabilis, ore
Augusto: G. Vrbs. S. Quænam? G. Caput orbis maxima Roma,
Vrbs antiqua, vrbs clara, vrbs felicissima: leges
Quæ tolerare suas, & sceptra superba coëgit
Tot Reges populosque truces terraque marique.
S. Quid pedibus parmaque premit, qua considet arce?
G. Hi sunt bis gemini colles, tot paruula paruis
Mœnibus inclusit primùm, pòst grandior illis
Adiecit ternos, septeno vertice gaudens.
S. Quæ dextras coràm iungunt? G. Est ardua Virtvs,
Et Fortvna potens; quibus omnia regna duabus
Firma loco constare solent, & fixa perenni
Durare imperio diuino numine: Roma
His orta est, his creuit, mirificeque per orbem
Illuxit, bello felix, laudataque pace.
S. Quis latere à dextro recubat vir, quæ fera læuo?
G. A dextra est Tiberis fluuius; Lupa parte sinistra,
Cui gemini auctores Vrbis (mirabile visu)
Romulus atque Remus fratres simul vbera sugunt.
S. Hinc atque hinc quænam palis affixa videntur?
G. Adspicis exuuias, suspensaque postibus arma,
Arma virûm, gladios, clypeos, galeasque superbas,
Telaque, thoracesque, ærata & cuspide contos,
Hostibus à victis spolia, ac victricia signa.
S. Inferius quæ turba oculos demissa dolentes
Desidet hîc mœrens manibus post terga reuinctis?
Quique alij fusco conspersi membra colore?
G. Captiuos cernis, domitos, & sub iuga missos,
Carcere conclusos tetro, atque caligine cæca,
Qui propriam miseri sortem lacrymantur acerbam.
Nam simulac nata est Vrbs, ac caput extulit infans,
Tercentum primis statim voluentibus annis,
Vel prece, vel precio, vel duro Marte propinquos
Sollicitat populos, Veientes, atque Sabinos,
Albanos, Latios, Etruscos, atque Camertes:
Inde Fidenates, Volscos, Samnitas, & AEquos,
Auruncosque, Salentinosque, acresque Faliscos,
Vulsinios, Priuernatesque, Tarentinosque,
Atque alios versu quos non comprendere fas est,
Qui sunt nascentis prima incunabula Romæ.
Scilicet Amphitryoniaden, dum paruulus infans
Vagit adhuc cunis, & adhuc lambentia fugit
Vbera, sic quondam duo pessima monstra dracones
Compressisse ferunt manibus, lethoque dedisse.
At postquam sensim teneris excessit ephebis
Roma, nouas vires, & mascula robora cœpit
Colligere: vt pontum curuis tentare carinis,

Universidad de Deusto
Biblioteca

Dein Numidas vaſtare, atque inſectarier Afros
Auſa ſit. His poſtquam præclarè adoleuit in armis,
Euaſitque magis robuſta ætate virili,
In Pœnos mouit: quos dum certamine multo
Verberat, inque vicem præbet ſua crura ſagittis,
Romani tandem imperij ſubuerſa duello eſt
AEmula Carthago. viden' vt naualibus illa
Illuget ſpoliis? His non contenta virago
Armipotens, modò Corſicios, Sardos, Siculosque,
Illyricosque, modò Inſubres, Gallosque cis Alpes,
Iſtros, Germanosque viros, Liguresque fatigat.
Alpibus emenſis, ſuperato & monte Pyrenes,
Mox impacatos latè populatur Iberos:
Exæquatque ſolo turres, cum turribus arces,
Oppida concutiens terra multa, æquore multa.
Eruit inde Argos, Agamemnoniasque Mycenas,
Ipſumque AEaciden genus armipotentis Achillis,
Vlta atauos Troiæ: reliquos dein vaſtat Achiuos,
AEmathios, AEtolos, Ambraces, atque Corinthos,
Cappadocas, Thracas, Myſios, Cretasque doloſos,
Bœotos, Cilices, Iſauros, Armenioſque,
Ac quoſcunque tulit Iudæa, aut Pontica tellus.
Parte alia Allobrogas, Salios, Aruernia caſtra,
Ruthenos, fortes Belgas, Celtas, Aquitanos,
Cum Cymbris Marſos, Cyprum, Salamina, Rhodumque,
Pannonas, AEgæos, Lycios, Syros, Arabesque.
Aſt vbi caniciem ſenſit, ſenioque propinqua
Roma fuit, veluti natis bona cuncta relinquit
Mater, ita imperij totas committit habenas
Cæſaribus, leges vt figant, atque refigant,
Et res amiſſas repetant, partasque reſeruent,
Adiiciantque alias: quorum virtute pariqué
Fortuna florens multùm Reſpublica creuit.
Extemplò toto diuiſos orbe Britannos,
Orcadas, Hibernos, Danos, Scythasque, Gothosque,
Extremosque hominum Morinos, Parthosque rebelles,
Quique habitant Nili ſeptemplicis oſtia, Perſas,
Sauromatas, Medos, Indos, Garamantas, & acres
Teutonas, atque Vbios, Batauos, forteſque Sicambros
Sub iuga miſerunt, & quos numerare moleſtum eſt,
Vltima quaque patet Thule, quaque vltima Calpe,
Et quà flant Eurus, Zephyrus, Boreasque, Notusque.
Hos ego Romani ſtudioſus nominis, VRBI
ÆTERNÆ æternum dico conſecroque trophæum.

IN FASTOS MAGISTRATVVM RO. EX ANTIQVIS TAM NVMISMATVM quàm marmorum monumentis, opera & ſtudio M. Laurini Domini de Watervliet, ab Huberto Goltzio Herbipolita reſtitutos.

ΑΔΟΛΦΟΥ ΜΗΚΕΡΧΟΥ ΒΡΟΥΤΙΕΩΣ.

Αἱ βίβλοι, τίνες ἐσὲ; τί κεύθετε; θυγατέρες μὲν
ΟΥΒΕΡΤΟΥ ΧΡΥΣΟΙΟ, τὸν Ερβίπολις τέκε δῖαι·
Εν κόλποις δ' ἰδίοισι βάφεν Λαυρῖνος ἀμύμων,
Δαφνίκομος ΛΑΥΡΙΝΟΣ ὁ δέσποτα τῆ πτολιέθρου,
Ο Φλάνδροι καλέουσιν ἀφ' ὕδατος ἀμφὶ ῥέοντος.
Τὴν Ρώμλω λέγομεν, Ρώμην τὴν κυδιάνειραν,
Τοὺς πολέμους, νίκας τὲ, τροπαῖά τε τῆσ βασιλήων
Αὐσονίδων, τὰ θέατρα πελώρια, ζύς τε θριάμβους,
Αρχόντων ῥάβδους, τιμάς τε, καὶ ἱερὰ λαοῦ,
Δαίμονας ἠδὲ θεοὺς ἰδίους, ἀναθήματ', ἑορτὰς,
Τὰς πόλιος πανηγύρεας, κρατερῶν τε ἀγῶνας,
Αθλά τε, χ' ἡρώων περικαλλὲ ἀγάλματ' ἀγαυῶν,
Καὶ πάντως Λατίου τὰ περίκλυτ' ἀείδομεν ἔργα:
ὡς τοι σημαίνει τὰ νομίσματα μυρία ταῦτα,
Χρύσεα σὺν χαλκοῖσι, τὰ χάλκεά τ' ἀργυρέοισιν:
Αρχαίου ξύμπαντα χρόνου, ξύμπαντά γε γαίης
Εκ βάθρων ὀρυγέντ', ἀγαθῶν μνημεῖά τε ἀνδρῶν.
Ημᾶς Ρωμᾶιοι γοῦν ἴλαθ' (ὄθ' ἵστορες ὑμῶν
Εσμὲν) σὺν Κρίσπῳ, Λιβίῳ, Τρώγῳ τὲ παλαιοῖς.

EIVSDEM.

Roma vetus quondam miſeras perpeſſa ruinas
Concidit, & Romæ diruta Roma iacet.
Colligit hanc, priſcamque nouæ (mirabile) Romæ
Reſtituit Romam Flandrica Bruga ſuam.

IOAN. GELDRII RVSSELLANI FLANDRI AD ROMAM.

Debita quæ ſemper præconia reddere laudum,
Claraque pro meritis præmia Roma ſoles:
Iam tua LAVRINOS rara manus alma corona
Exornet, ſed ne frondea dona paret.
Non Iouis, aut Bacchi, Veneris, non Palladis arbor,
His poterit dignum conciliare decus.
Et ſi longæua circundes tempora lauro,
Non hoc apta ſatis tempore laurus erit.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Phœbus enim teneris ſibi notus ſemper ab annis
His pridem LAVRI nomen habere dedit.
Pòſt vbi Phœbeas coluiſſet vterque Camœnas,
Implicuit doctis laurea ſerta comis.
Ergo vt nunc meritum capiant virtutis honorem,
Aurea laurigera munera fronte gerant.
Per quos tota vires, & per quos AVREVS ille
Exercet mira GOLTZIVS arte manum,
Qua nitor ille tibi, quem longa aboleuerat ætas,
Redditur, & Latio Roma vetuſta ſolo.
Vt tua non tantùm veteris tibi gloria regni,
Et ducibus redeat ſplendor honósque tuis,
Quorum iterum antiquos titulos, celebresque triumphos
Cernas, & variis parta trophæa locis:
Sed quoque nunc priſcis ob cuſa numiſmata formis,
Nil ſit Romana notius hiſtoria.
I nunc, & cultos ſolos dic eſſe Latinos,
Et Germana tibi barbara terra ſiet.
Qui fuit Herbipoli Germanis natus in oris,
Vt modò ſis tanto culta decore, facit.
Quo ſi non meruit ſtatuam de marmore viuo,
Quæ proſtet medio conſpicienda foro,
Hoc ſaltem, GOLTZI ſis felix, dicito, qui me
Erigis, & penitus nec cecidiſſe ſinis.

DANIELIS ROGERII ALBIMONTANI.

Annua qui priſcis ſignarint tempora Faſtis,
Neſcio quàm multos ſæcula noſtra legant:
Vnus at HVBERTVS ſic vincit GOLTZIVS omnes,
Vincit vt exiguas maxima Luna faces.
Hoc qua'nam auctor ratione confecit, & arte?
Quo duce tam claris præſtitit ille viris?
Scilicet è tenebris educta numiſmata, Faſtos
Hunc melius veteres & docuêre dies.
Quæque alij ſpernunt tanquam ridenda, notandis
GOLTZIVS hæc Faſtis vtiliora probat.
Immo ſic priſci rides qui munera ſæcli,
Dic nihil antiquas vtile ferre notas.

HVBERTI GOLTZII HERBIPOLITAE VENLONIANI
AD SENATVM POPVLVMQVE ROMANVM
PRAEFATIO.

ROMANORVM Imperatorum, Cæſarumque hiſtoriam, ex antiquis numiſmatibus inſtauraturus, quũ in id haud ita nuper omnes & animi & corporis actiones intendiſſem, & poſt nõ pœnitendos hoc in inſtituto progreſſus, abſolutoq; iam primo totius operis libro, (quem Iulium Cæſarem inſcripſimus) altiùs aliquantò & diligentiùs mecum ipſe perpenderem, ampliſſime Senatus, quemadmodum auguſtum illud imperij veſtri decus & faſtigium, quod tenui humiliq; ab initio profectum, tot clariſſimorum virorum & heroum induſtria, prudentia, & virtute, tot laboribus & moleſtijs, multorum annorum ſpatio, paulatim eluctatum, quaſi per gradus quoſdam ad ſummũ peruenerat, ad vnum Iulium Cæſarem eſſet delatum: mira & incredibilis quædam inſtituti mei, eiusq; quod initiò ceperam conſilij mutandi, animum meum inceſſit cupiditas; quæ tanto me ſtudio inflammauit, nihil vt eſſet optatiùs, quàm inprimis & antequàm reliquos, qui de Imperatorib. reſtabant, libros proſequerer, veſtrorum Faſtos Magiſtratuum explicare, eosq; cùm ex vetuſtis numiſmatibus, tum ex ipſis marmorum antiquorum monumentis, iam inde à condita veſtra illuſtriſſima Roma, in certum ordinem redigere. Nimirum vt ſeptem Reges primùm, deinde obſeruato cuiuſq; anni tempore Conſules, Dictatores, Magiſtros Equitum, Decemuiros, Tribunos Militum, Cenſores, & ſi qui alij veſtram hanc Remp. vſque ad ſingulare Cæſaris & Auguſti imperium gubernarunt, perpetua ſerie & ordine

Universidad de Deusto
Biblioteca

dine aptissimo describerem. Tum etiam, vt Triumphos & Ouationes signatis annis & diebus (quotquot vel ex priscis, quæ supersunt marmorum fragmentis, vel ipsis numismatis, & verissimis quibusq; historijs reperiri poterant) vnà cum Lustris, Ludis Sæcularibus, Bellisq; omnibus, & ipsis pace vbique parta Iani clusi temporibus, eadem opera adiungerem. Quem laborem eo potissimũ consilio suscepi, vt ex huiusmodi descriptione, non modò tota administrationis ratio, quæ Regum tempore & Reipublicæ fuit, ingentesque mutationes, quæ coortis subinde inter Senatum & Populum grauissimis seditionibus, priusquam totum illud vestri imperij corpus coalescere posset, inciderunt, facilius cognoscerentur: verùm etiam quò clarè perspiceretur, quemadmodum Monarchia Romana, cùm ex minima & propè despecta origine paulatim in summam excreuerit potentiam, tum etiam speciem quandam æterni & perpetuò duraturi imperij præ se tulerit: quando nulla post hominũ memoriam neque magnitudine latior, neque pace beatior, gloriosior, neque sæculorum interuallo diuturnior extitit: vt quæ vel hactenus priscam authoritatem summa cum virtute defensam retineat, & mordicùs tueatur. Exemplo sanè alieno à reliquis Monarchijs, quæ vt subitò natæ & exortæ, ita etiam repentè nullis progressionibus vsæ, collapsæ sunt, & conciderunt. Cuius rei, si quæras, nullam aliam caussam reperias, quàm quòd ex personis duntaxat, non (vt in imperio Romano) ex regionibus, prouincijs, vrbibus, Senatoribus, atque ipso adeò populo, earum fama penderet, & auctoritas. Quo factum est, vt Assyriorum Principes breuissimo tempore Chaldæis Monarchiam eripuerint & extorserint: ita vt hæc duo imperia (Chaldæorũ inquam & Assyriorum) quanquam diuersa, multi vnum esse putauerint. Neque id profectò iniuria. Nam cùm Mædorum proceres se ingessissent, & quasi intrusissent, ita vt ex ijs, quos iam dixi, popu-

pulis, modò hic, modò ille, modò tertius quispiam, aut etiam interdum tres simul pari potestate imperarent, haud facilè ex ijs, quæ Agathias, Herodotus, Xenophon, Metasthenes, Iustinus, Dion, Diodorus Siculus, alijque historicorum antiquissimi literis prodidêre, diiudicari potest, penes quos potissimùm summum imperium aliquanto, imò longiori aliquo tempore fuerit, nisi quòd Mædi oppressis tandem ceteris, rei summam ad se traduxêre, quã tamen non vltra annos CXCI. obtinuêre. Neque in dissimilem fortunam incidisse videntur & Græci, quorũ Monarchia vti ab Alexandro Macedone initium sumpsit, ita decurso sex annorũ & septem mensium spatio, simulac ipse Alexander rebus humanis exemptus esset, de sua gloria decidit, & in partes quatuor, siue Tetrarchias diuisa est. Et quamuis ij ipsi, qui prouincias inter se partiti fuerant, sæpenumerò natis (vt in æmulatione regni solet) contentionibus, alius alij quo iure, qua iniuria, iugum imponere niterentur, nonnullique ex his, vel quòd armorum & bellandi peritia ceteris præstarent, vel ipsius fortunæ beneficio adiuti, interdum superiores euaderent, nunquã tamen tantum ipsis spatij concessere Romani, vt à præteritis difficultatibus & bellorum laboribus penitus recreati, se prorsus erigere, totumque è cinerib. caput extollere possent. Quod quidem ipsis eò fuit effectu facilius, quòd ea esset tum temporis per totum terrarũ orbem Romani nominis celebritas, ea auctoritas, eaq; potentiæ fama, vt Reges alijque viri Principes & populi etiam longissimè dissiti, non tam armis & aperto Marte reprimerentur, & in quiete continerentur, quàm solis iussis, sine vi, aut ferro, terrore perculsi trepidare, imperata facere, atque in fide permanere facilè cogerentur. Sensit hoc Syrię Rex Antiochus Epiphanes, cùm iam maximum & validissimum in expeditionem eduxisset exercitum, quò Ptolemęum Philometorem Ptolemæi Epiphanis & Cleopatrę sororis suæ filium, fortunis & regno exueret, imperiumque ad se transferret. Siquidem cùm Ptolemæus Ro-

Universidad de Deusto
Biblioteca

manos de auxiliis interpellasset, & C. Popillius legatus a Senatu ob id ad Antiochum missus, Populi Romani nomine ipsi denuntiasset, vti ab armis discederet, Antiochus verò spatium deliberandi petiisset: Popillius indignatus virgula locũ in quo Rex consistebat, circumscribens, magna animi præsentia & fiducia, anteq̃ ex loco circumscripto excederet, dilertè respondere iussit, credereq̃;, non tam Legatum, quàm vniuersum Senatum cum ipso colloqui. Quæ res ita Antiochum perculit, vt nulla interposita temporis mora, statim pacem promitteret. Ceterùm non minorem etiam ante illa tempora Vrbis vestræ, Senatusq̃; & Populi Romani auctoritatẽ fuisse vel illud argumento esse potest, quòd Ptolemæus Philopator Ægypti Rex Populum Ro. tutorem filio suo Ptolemæo Epiphani adhuc puero instituerit, vt aduersus Antiochi insidias & potentiam, Romanorũ præsidio, tanquam præsenti quodam numine tutus, defenderetur munireturq̃;. In quo quidem tuendo ea cura, diligentia, & fides à populo Ro. præstita est, vt Lepidum tũ fortè Pontificem maximum ad pueri tutelam Alexandriam mittere non dubitarit: malueritq̃; opera & ministerio amplissimi viri tam in sacris quàm aliis Reipublicæ vsibus destitui, q̃ committere, vt fides ipsorum frustrà implorata videri posset, vel quicq̃ eorum quæ ad regia incunabula tum conseruanda, tum amplificanda pertinerent, desiderari. Hinc postea & alij Reges non pauci, vel sola fidei, & propè diuinæ beneficentiæ, qua populum Ro. aduersus socios, amicos, & fœderatos vti solitum intellexerant, fama impulsi, liberos suos etiam infantes aut ætate minùs prouectos in tutelam educandos iisdem tradere non sunt veriti. In quibus fuit & Iuba Mauretaniæ Rex. Quamuis enim non aliud imperium tanto sanguine, tot clarissimorum virorum cædibus, tot tantisq̃; laboribus, rerumq̃; difficultatibus, quæ variis obiectis casibus vndique incurrerunt, partum sit & constitutum, quantis Romani imperij moles est conflata: Liberalitatis tamen, Fideique, etiam in hostes, &

& Clementiæ laude reliqua omnia longo interuallo superauit. Quæ cùm in alijs plurimis, tum in hoc potissimũ enituit, quòd nõ omnes prouincias, nec omnia regna, quæ virtute & rei militaris peritia subegisset, sibi vendicaret, suęq̃; ditioni subijceret: sed nonnunq̃ etiam immunitate tributorum concessa, liberos suis legibus viuere permitteret, interdum alijs Regib. aut viris principibus confœderatis possidenda cõcederet. Testis huius rei Asia deuicta, quam Regi Attalo Romani vtendam possidendamq̃; tradidêre, certi plus hinc honoris & gloriæ sibi imperioq̃; suo apud omnes passim partum iri, si opulentissimã florentissimamq̃; vel totius orbis partem non sibi retinerent, sed priuatæ vtilitatis ratione neglecta alijs donarent. Testis & illa illustris atq; eximia Populi Ro. in Gręcos liberalitas, quam etsi ad perpetuam memoriã annalium monumentis diligenter cõsignarunt, nunq̃ tamen meritis efferre laudibus potuêre historici: cùm scilicet T. Quinctius Flamininus Imperator, Philippo Macedonum Rege superato, affluenteq̃; ad spectacula certamini cũ ex more vniuersa Græcia, silentio tubæ sono indicto, clarè per præconem pronuntiari iussit, S. P. Q. R. ipsumq̃; Flamininũ, omnibus Græciæ vrbib. quæ sub Philippi Regis imperio fuissent, libertatem, immunitatem, & ἀυτονομίαν concedere. Quid enim speciosius, quid iterum moderatius, q̃ ita alios vincere, vt de eorum libertate nihil detrahas? quid ad omnem posteritatem illustrius, q̃ non odio & ira, sed benignitate potiùs & beneficẽtia cum hostibus certare? Fuêre quidem in Romanis etiam cõplures alię virtutes, sed inter quas arcem & principem locum teneret Liberalitas ceterarũ quasi regina: quã quidem non tantùm S. P. Q. R. publicè in vniuersos, verùm etiam priuatim ita exercuêre Imperatores aliquot Romani, vt vel per hanc solam exteras nationes, vrbesq̃; nõ paucas sub imperium Po. Ro. adiunxerint. Ita vt ex his facilè perspici & cõstare possit, Romanos nõ tam vi & armis, q̃ benignitate, liberalitate, fide, clemẽtia, moderatione, aliisq̃; cognatis virtutib. (quibus tam in

Universidad de Deusto
Biblioteca

vniuersum populus Ro. q̃ singuli ferè Duces & Imperatores vti ceteris longè præstitêre, ita easdem & frequentiùs & liben tiùs exercuêre) totum ferè terrarum orbem sibi subegisse. Quantulum enim summæ ipsorum angustiæ, tenuique filo fortuna pendens cõtra Carthaginensium opes & potentiam, Græcorum sapientiam, Gallorum, Germanorumque robur & multitudinẽ alioqui valuissent? Vt meritò γνῶμαι illæ omnium iudicio approbatæ & sermone celebratæ videri possint: *Vincit omnia virtus*: &, *Domat omnia virtus*, & si quæ sunt id genus aliæ: ex quibus nihil tam altè à natura constitutũ esse intelligimus, quò virtus vel per se, & nullis adiuta adminiculis, non possit eniti. Quanquam & Fortunam illis diuinitùs quodammodo adiunctam, & tanquam obsequentem, plurimùm ad tantas res gerendas momenti attulisse credendum est. Nam vti rectè & non sine iudicio à Marcellino scriptum legimus, quũ primùm vrbs Roma suo splendore orbi illucescceret, vt ad honoris culmen æternæ pacis fœdere eueheretur, Virtus & Fortuna aliàs ferè dissentientes consensère: quarũ si alterutra defuisset, nanquam illa ad perfectũ fuisset peruentura. Cuius quidem consensionis vis & effectus ex auspicatissimis vrbis incrementis, felicissimisque successibus & progressionibus, quas ad rerum summam constituendam fecit, facilè perspicitur. Siquidem ab eodem Marcellino memoriæ proditum est, populum Ro. primis trecentis annis (quam veluti primam ipsius ætatem haud ineleganter neq; absurdè pueritiæ terminis concludit) multa bella sub ipsis quasi vrbis mœnibus toleasse & sustinuisse. Deinde adultiore iam ætate post varias bellorum calamitates, hinc Alpes, illinc fretum Herculis transcendisse. Postea quum ad adolescentiam iam processisset, & quasi virile quoddam robur collegisset, ex omnibus orbis partibus laureas triumphosq; reportasse. Postremò ingrauescente ætate quasi tranquillitatis & quietis appetentiorem, posteaquam gentes indomitas, moribus feras, natione barbaras, iam sub suam ditionem sub-

subiunxisset, institutisq; & legibus ornasset, & libertatis fundamenta firmissimè iecisset, veluti prouidam & optimam parentem, in Cæsares tanquam in liberos suos, omne patrimonij sui ius transtulisse. E quibus cuiuis haud difficile fuerit æstimare & cognoscere, cùm totum imperij Ro. corpus, tum peculiare illud decus & gloriam nunquã intermorituram vrbis vestræ, quæ sanè hactenus non dicam superiorem, sed ne parem quidem vnquam habuit. Quod enim aliud imperium longiùs ac latiùs fines suos aliquando protulit, quàm Romanum? quod omnes ferè orbis regiones suo ambitu complexum, nõ solùm nationes eo tempore cognitas, sed & antea ignotas, imò ne auditas quidem sibi parere coëgit. Quæ ciuitas, quæ gens, quæ natio vnquã deductis è suo corpore colonis, tot ac tam diuersas orbis partes vel incultas, vel malè habitatas frequentauit & excoluit? Quæ tot vrbes à fundamentis extruxit, vel dirutas & à cultura hominũ desertas nouis hominum cœtibus recreauit, quot vestra olim Roma? transmisisis in id multoties in omnes ferè totius mundi oras etiam remotissimas per freta & maria q̃plurimis ciuium suorum milibus, qui vel nouas vrbes conderent, vel euersas & disiectas instaurarent, pulcherrimisque & magnificis operibus tam ad vtilitatem commoditatemq; cùm publicam tum priuatam, quàm ad splendorem dignitatemq; exornarunt & instruxerunt. Testantur id etiamnũ innumeræ quæ passim extant, antiquorum operum reliquiæ & monumenta. In quamcunque enim tẽ regionem contuleris, (si qua modò cultior est) quoquò te verteris, quaquà deflexeris, statim in oculos incurrent Theatra, Amphitheatra, Circi, Naumachiæ, Hippodromi, Fora, Curiæ, Palatia, Basilicę, Porticus, Thermæ, Balnea, Cryptæ, Labyrinthi, Aquæductus, Viæ, Pontes, Castra, Castella, Portæ, Arcus, Trophęa, Columnæ, Obelisci, Metæ, Templa, Ædes, Sacella, Aræ, Sepulchra, Cippi, Termini, Bases, Statuæ, Colossi, Tabulæ inscriptæ, aliaq; id genus innumera antiquitatis monumenta à maioribus vestris

Universidad de Deusto
Biblioteca

passim relicta. Inter quæ quis satis miretur porrectos in plura passuum milia Aquæductus, qui in profundissimis conuallib. plurimis fornicibus aliis super alios vel ad sydera vsque exstructis, alibi perfossis vastissimis durissimisque rupibus & cautib. deductisque altissimis montium iugis, summa imis æquabant? Quis iterum dignis laudibus extollat immensa illa tot Viarũ prægrandib. saxis instratarum spatia? quæ per vniuersum orbem, quà Romanũ patebat imperium, quaquauersus per Alpes, perque alios asperrimos inaccessosque montes, pérq; altissimas paludes & voragines, per vastissimas solitudines, aliáque loca inuia directæ & munitæ, legionibus olim vestris de prouincia in prouinciam, ab Occidente in Orientem, rursus à Meridie in Septentrionem, facillimum cõpendiosissimúmque iter præstare solebant? Quæ quidem omnia non tam ingenio & viribus humanis, q̃ quasi Deorum effecta perfectáque consilio & manibus (quod & hodie à plerisque creditur & prædicatur, dum hæc à cacodæmone, vel aliàs incantationibus & magicis artibus intra breuissimum tempus extructa affirmant) quam q̃ iam semilacera, & cùm hominũ opera & studio, tum ipsa temporis iniuria conuulsa labefactatáque & ruinã minitantia, pristinam tamen maiestatem retinentia, & vel ipsa antiquitate reuerenda, infinitam inexhaustámque maiorum vestrorum potentiam, tum excelsum illum & longè supra mortalia se efferentem populi Ro. animum irrefragabiliter nobis arguunt. Vt interim de incredibili Numismatum antiquorum tam aureorum & argenteorũ, quàm æreorum vi & copia hîc fileam: quæ cùm abhinc duobus annorũ milibus plus minus procudi cœpta sint, plurimáque ex his etiam ipsa vetustas absumpserit, & longè plura in varios vsus conflata sint, quotidie tamen passim per vniuersum orbem cùm ex antiquorum operum ruderibus, tum ex ipso terræ sinu nũmi per maximos aceruos eruuntur effodiunturque, tam ipsa notarum & typorum diuersitate, quàm pretio & materiæ nobilitate spectabiles: & in his plæ-

plæriq; vel à prima ætate, & plurimis etiam sæculis ante Cæsarũ tempora signati: idq̃; ita abundanter & copiosè, vt non tam aliquando depositos, aut casu iniectos, quàm terram ipsam nummis scaturire putes. Quod ipsum non minimũ opum inexhaustarũ, & immensæ Romanorum potentiæ, & quàm latè eadem se protulerit, argumentũ est. Præterea facit & hoc non parum ad laudem Vrbis vestræ, quòd sicuti imperij sui fines longè lateque per orbem terrarum produxit, deductisq̃; innumeris ciuium suorũ coloniis, vti quàm latissimè Romana pateret ciuitas effecit, ita pulsa protinus omni barbarie, & morum feritate, primùm quidem sermonem Romanũ per omnes terrarum oras diffudit: qui tandem ita omnibus familiaris effectus est, vt & hodie cõplura idiomata (potissimùm per Europam) indigenis suis vernacula, inde fluxisse & deriuata certũ sit. Tum etiam sacra & leges omnibus passim communicauit, ita vt hodieq̃; vniuersa Europa, & aliæ nõ paucæ prouinciæ, nõ aliis aut sacris aut legibus, quàm Romanis vtantur. His si quis adiungere velit domestica Vrbis vestræ ornamenta, eaque quæ partim apud vos nata & effecta, partim ex omnibus orbis partibus tum nobilium opera artificum, tum naturæ ipsius delitiæ & miracula inuecta sunt, sigillatim percensere instituat, eadem quis opera aut sydera cœlo micantia sereno, aut quantas æstus voluit arenas enumeret. Quare ne hic mihi labor incassum suscipiatur, vnicum Cyneæ elogium huc attulisse contentus ero: qui à Pyrrho Epirotarum Rege Orator Romã missus, reuersúsq;, Regi interroganti: quid tandem de ipsa Vrbe ipsi videretur, & qualem eam offendisset, respondit breuiter: Quot domos, tot templa sibi visa esse, totque Reges quot ciues. Quæ quidẽ si tum temporis fuit Cyneæ de vestra Roma opinio, quid amabò dicturus fuerat, si qualis sub Augusto trecentis pòst annis fuit, ipsi videre contigisset? Qui eam ita maximis sumptuosissimisque operibus vndique exornauit, vt non dubitauerit gloriari, se lateritiam inuenisse, relicturum marmoreã. Hinc minùs mirum videri debet, si ipse D. Augustinus vir tantus aliquando

inter

Universidad de Deusto
Biblioteca

inter cetera optârit, Romam vidisse eo statu, quo fuit quum præcipuè floreret & vigeret. Quid nunc dicam de iis, quæ partim ad otium, fontem omnis mali, tollendum, partim ad subleuãdos exhilarandosq; fessos vexatosque nunc diutinis bellis, nunc longa morborum lue, aut annonæ difficultate, aut aliis calamitatibus populi Romani animos, interim & ad ipsum Deorum cultum, auertendamque, siue placandam Deorum iram instituta fuêre? Quæ Romæ ita frequentabantur, & continuo in vsu erant, vt pauci admodum per totum annum dies ab his vacui essent: qualia fuêre Ludi propè infiniti tam Circenses, Theatrales, q̃ Scenici, Compitalicij, & alij: Certamina agonalia, Decursiones, Venationes, Naumachiæ, Munera gladiatoria, infinita rerũ admirandarum, & nunquam antea conspectarum, atque ex remotissimis orbis partibus cõquisitarum, spectacula, Congiaria, Donatiua, Epulæ publicæ, Viscerationes. Præterea quotidianæ tantùm nõ feriæ cùm votiuæ, tum statæ: dies festi tot Deorum, Natales virorum Principum cùm publicè tum priuatim celebrari soliti, Templorum, Ædium sacrarum, aliorumq; locorum, imò ipsarum statuarũ Dedicationes, Funera publica, Supplicationes, Ouationes, Triumphi, Sacrificia tam publica, solennia, & anniuersaria, quàm alia priuata infinita. E quibus omnibus nullum iucundius, nullum plausibilius spectaculum, nihil quod populi animos æquè afficeret, ac Triumphi: in his nanque cernere erat præter innumeros gentium barbararum efferatarumq; greges, qui populum Romanum grauissimis longissimisque bellis infestarant, ipsos etiam Reges, aliosque hostium Duces, & Imperatores captiuos vinctosq; agi: tum in ferculis ipsis non oppidorũ tantùm & castellorum, sed montium & fluuiorum ipsorum simulachra transferri: præterea immensa auri argentiq; tam facti quàm infecti, tam rudis quàm signati pondera, vniuersas Gazas regias, Tabulas, Signa, Statuas, Toreumata, vasa prægrandia exquisitissimè elaborata, & nõ minùs opere quàm materia ipsa æsti manda, denique infinita Barbarici Asiaticiq; luxus instrumenta.

Ea-

Eaq; triumphorum magnificentia tanto sumptu, tanto apparatu instructa fuit, vt vel ex vno triumpho Romanorum opes, magnitudo, & potentia cognosci potuerit. Et verò hæc vestra Roma orbis rerumq; Domina, quanquam & ipsa voluentibus annis, confectoque iam duodecim sæculorum curriculo, quæ Marcus Varro per duodecim illos vultures, quos Romulum dum Vrbi condendæ auguria caperet, vidisse tradunt, significari voluit, (vt nihil est in rerum natura perpetuum, & cui non dominetur sæua & ineuitabilis Fati necessitas) tandem in Barbarorum potestatem peruenerit, non tamen, vt reliquæ omnes ante ipsam Monarchiæ, vetus imperij ius aut nomen vnquam amisit. Quando ne ipsi quidem Gothi, quanquam aliàs infestissimi, vsqueadeò inuidêre gloriæ æternitatique nominis Romani, vt id semel extinctum, aut perpetuis obrutum sepultumque tenebris cuperent. Quin potiùs Odoacer, Theodoricus, Alaricus, Theodahatus, Totilas, Witiges, Hildewaldus, reliquáq; Gothicorum Regum & Principum turba, qui Romam occupata in reliquo ferè Occidente rerũ potiebantur, quasi æmulatione quadam Principum Romanorum perpetuitati nominis Romani studuisse videntur, dum & ipsi nummis suis exprimi & inscribi curarũt varia vrbis Romæ elogia. In plærisque enim legimus, VRBS ROMA: in nonnullis, INVICTA ROMA: in non paucis, ROMÆ ÆTERNÆ: in aliquibus, GLORIA ROMANORVM: in aliis verò aliter. Solus Ataulphus Gothici nominis illustrandi ceteris studiosior, Gothiam appellari voluit, publicato nummo, in quo Roma cultu & habitu peculiari & solito, quóque potissimùm digno scitur, sederet, cui Victoria lauream offerret, cuiq; inscriptum esset, MEMORIÆ GOTHIÆ. Idémq; vetuit eam deinceps Augusti vrbem appellari, sed à se Ataulphi vrbem dici voluit. Sed quid hac sua ambitione profecerit, euentus docuit: Manet enim, manebitq; æternùm, dum hæc mundi fabrica constabit, Augustum illud & venerandum Vrbis vestræ nomen,

Universidad de Deusto
Biblioteca

vnumque etiam hodie & legittimum Romanum imperium agnoſcimus,quod nec vlla temporum circunſcriptione terminandum credimus. Nam Barbaricum illud Othomannorũ regnum,vti tyrannidem potiùs,quàm imperij nomine dignũ cenſemus,ita grauiſſimo molis ſuæ caſu impulſum ruiturum aliquando, & eundem quem reliqua Orientis regna finem habiturum ſperamus & credimus. Cùm igitur hæc ita ſint,Viri ampliſſimi, vos potiſſimùm ex vniuerſo mortalium cœtu dignos iudicaui, quibus hoſce Magiſtratuum olim veſtrorum Faſtos dedicarem inſcriberemq́; ,vt ſub veſtri nominis auſpicio gratiùs acceptiusq́; apud omnes in lucem aliquando prodirent. Quando vos eſtis,qui in illorum qui hîc deſcribuntur Magiſtratuum locum ſucceſſiſtis,quiq́; eandem Rempublicã veſtro conſilio,veſtra prudentia adminiſtratis. Quod vt ita facerem, veſtrorum in me meritorũ ratio præter cetera poſtulabat, qui me licet aduenam & peregrinum non ſolùm in Capitolium veſtrum admittere dignati eſtis,ſed (quæ veſtra eſt in quoſuis, & potiſſimùm exteros, nunquam ſatis laudata humanitas) etiam intra Palatia veſtra & tecta priuata, atque adeò in intimos ædium veſtrarum receſſus recepto, iuuandi promouendiq́ue inſtituti mei ergò, opulentiſſimos theſauros cùm à numiſmatib. omnigenis, tum à reliqua ſupellectile antiquaria & antiquitatis monumentis inſtructiſſimos,aperiendos, proferendos, candideq́; & citra inuidiam communicandos curaueritis: ita vt non ſolùm inſpectio, ſed & ipſa contrectatio rerum maximè ſingularium mihi libera fuerit. Quò magis fore confido, vt hunc meum laborem gratum & acceptum ſitis habituri, & me ſimul grati animi ſignificationem dare cupientem,veſtra gratia,veſtroq́; fauore non indignum exiſtimaturi. Brugis Flandrorum.

IIII. Idus Ianuar. M.D.LXVI.

AD LECTOREM.

QVID obſecro,beneuole Lector,noui aliquid in publicum emittenti gratius atque optatius eſſe poſſit,quàm vt ipſius & mens & inſtitutum, priùs quàm in reprehenſionem incurrant,rectè intelligantur? Sed eius interim,qui ſuas lucubrationes aut immeritò negligi,aut improbari,aut de ijs perperam iudicari nolit,partes etiã ſunt,vt animi ſui ſententiam planè & perſpicuè explicet, & quaſi oculis ſubiiciat. Quod hoc loco mihi omnibus modis faciundum eſſe duxi, præſertim cùm id huius operis ratio, ita vt in eo aliqua neceſſitatis pars eſſe videretur,efflagitaret. Proinde hoc te primùm ſcire velim,in ea opinione me non verſari,vt hos nummos,qui horum Faſtorum initio proponuntur,Regibus ipſis imperantibus cuſos eſſe exiſtimem: quandoquidem id longo interuallo pòſt factum eſſe, dubitari nõ poteſt. Primum enim,cuius nota eſt Romuli,ſiue Quirini caput,M. Terentius Varro Lucullus Conſul circa annum vrbis conditæ DCLXXX. ferijt, ſicuti & C. Memmius Quirinus. Secundum, in quo Mars ad Rheam velut eam mox compreſſurus accedit,Antoninus Pius Auguſtus: tertium,in quo paſtor Fauſtulus Romulum & Remum apud lupam inuenit, Sextus Pompeius Foſtulus Conſul anno vrbis conditæ DCCXVIII. & quartum, qui Romuli Conditoris aratro ſulcum pomœrij vrbis Romæ ducentis imaginem gerit, Titus Cæſar Veſpaſiani Auguſti filius ſignari iuſſit. Deinde is,qui tibi Romulum triumphantem exhibet,& item alter,in quo eundem opima ferentem ſpolia vides, ab Antonino Pio Auguſto percuſſi ſunt. Reliquorum autem numiſmatum cùm vtraque pars aduerſa & auerſa expreſſa ſit,quarũ altera ſemper illius cuius nummus eſt,aut ſub cuius magiſtratu ſignatus eſt, nomen cõtineat: facilè à quibus,vel quo ferè tempore,& in cuius honorem & gratiam procuſa ſint, perſpicitur. Hoc enim in Conſularib. numiſmatis obſeruatum eſt & animaduerſum,poſteris eorum,quorum egregia extarẽt in Remp. merita, ſiue ob rem bello benè & feliciter geſtam, rempublicam probè adminiſtratam,ſiue etiam ob opus aliquod ad vtilitatẽ dignitatemq́; publicam extructum,à Senatu conceſſum & indultũ fuiſſe,vt præclara maiorum ſuorum,aut à quibus ſe oriundos videri volebant,facta,etiam longo pòſt tempore ac pluribus ſæculis, publicis nummorum monumentis impreſſa,& ſuæ luci reſtituta,in hominum memoriam reuocarent, & quantũ in ipſis erat,immortalitati æternitatiq́; conſecrarent, additis nonnunquam & vultibus ipſorum,qui ex antiquis cùm ſtatuis tum alijs imaginibus (quas longo ordine ſeriatim vel à prima origine in atriis ſuis diſpoſitas, etiam in multa ſæcula ad pompas funebres,aliaq́; ſimilia aſſeruare,& ſpectandas proponere ſolebant) in ipſis nummis ad viuum expreſſi erant. Hinc L. Titurius Sabinus in nummis ſuis propter Sabini cognomen, caput T. Tatij Sabini

Universidad de Deusto
Biblioteca

Regis Sabinorum signauit,& in parte auersa Sabinarum raptum,nonnunquam etiam Virginem Tarpeiam,quæ prodita arce Tarpeia à militibus Sabinis clypeis obruta interiit. Similiter & C. Memmius Quirinus, propter Quirini cognomen, caput Dei Quirini, quod & Romuli, suis nummis impressit: vti Pompeij & Pomponij, Numæ Pompilij, Pomponis filij caput & effigiem, quòd vtraque forsan gens ad hunc suam originem referret. Simili quoq; ratione L.Hostilius Mancinus Consul anno ab vrbe condita DCVIII. & L. Marcius Philippus Consul anno vrbis DCXCVII. capita Regum Tulli Hostilij & Anci Marcij in nummis suis publicârunt:C.autem Marcius Censorinus Anci Marcij, & Numæ Pompilij capita, simul vno in nummo cum portu Ostiensi in parte altera:M.verò Tullius Decula Consul anni DCLXXII. Seruij Tullij vultum & imaginem expressit. Ceterùm Tarquiniorũ familia cùm vrbe simul & regno pulsa velut extincta concidisset, nulla eius in numismatis retineri & conseruari memoria potuit: quanquam L.Tarquinius Priscus,qui regnum non minùs fortiter,quàm prudenter,& modestè administrarat,eo honore minimè indignus esset.Atque hæc ferè ad Regios nummos, qui primis octo Fastorum nostrorum tabulis spectantur, pertinent: quanquã etiam ad eandem hanc rationem exigenda sunt etiam illa numismata,quæ postea Consularium aliorumque Magistratuum tabellis à nobis adduntur: potissimùm si quibus argumenta rerum multò antè gestarum continentur,aut nomina leguntur inscripta eorum,qui vel anteq̃ nummus argenteus Romæ procuderetur,Consulatum,aut alium aliquem Magistratum gesserunt. Quòd autem ad reliqua attinet, illud te monitum velim, nummorum omnium,qui ab anno vrbis conditę CDXXCIIII. vsq; ad finem, singulis Consulatibus & Censuris affixi cernuntur, partes aduersas & auersas tabellis minusculis sibi connecti;in quibus, notis quibusdam literarum, metallum,ex quo numisma conflatum est,indicatur:siquidem Ⱥ aureum, Ⱥ argenteum, Æ æreum ipsum esse significat. Quòd si duobus tribúsve metalli generibus nummus aliquis procusus sit, totidem etiam huiusmodi notæ conspiciuntur adiunctæ: quibus etiam notulis Græci aliquot characteres αβγδ. &c. vt nummi magnitudo cognosci possit, subijciuntur. quò etiam figura infrà posita,quæ ex pluribus circulis alijs alio maiorib.constat, ijsdemq; characteribus per singulos circulos notata, pertinet. Nimirum vt intelligas, numisma,ad quod character aliquis in tabella asscriptus est,tantum esse, quantum est interuallum inter supremam figuræ, quam dixi, lineam circularem,& alteram cui idem character,quem nummo additum vides,suprascriptus est.Ceterùm Dictatorum & Magistrorum Equitum,præterea Triumphorum numismata,non quidem tabulis illis,quibus Dictatorum Magistrorumque Equitum nomina inscripta sunt, aut ipsi Triumphi annotati,imponuntur,aut incumbunt, vt suprà in Consulatibus,aut Censuris, sed singulæ illorum numismatum partes hinc inde ab vtroque latere tabu-

tabulis ampliorib.Dictaturarum & Triumphorum affixæ adhærent.E quibus itidem singulæ exiguæ dependent tabellæ, quæ similibus notis & characterib. cùm metallum,tum modum nummi ostendunt. In ipsis aũt Triumphorum tabulis sæpiùs videre est longiusculam huiusmodi virgularum seriem ////////, quæ diem,nonnunq̃ & mensem,quo actus est Triumphus, ignorari demonstrat,vtpote qui nec ex veteribus marmorum monumentis,neq; ex ipsis historiarum scriptoribus colligi potest. Eôdem pertinent similes virgulæ in tabellis quibusdam oblongioribus,quæ post mortem Diui Iulij,& post annum DCCX. iuxta Consules suffectos in locum ordinariorum locatæ sunt:significant enim diem & tempus,ex quo Consul ille suffectus est,& Consulatum inierit,esse in obscuro. In tabulis verò Consulum, Censorum, Dictatorũ, Magistrorum Equitum, & reliquorum Magistratuum, non rarò videbis huiusmodi virgulas ante literas F.& N. sic /.F. /.N. quæ si ante vtranq; literam erit,significat & patris & aui illius Cõsulis,Censoris,aut alterius Magistratus,qui in tabella descriptus est,nomen non extare.Si ante alterã tantùm,scilicet N.sic /.N.significat nomen aui tantùm ignorari. Quæ quidem patrum & auorum prænomina, siquidem sciri potuissent,loco virgularum ponenda fuerant ijs literis quibus prenomina scribi solent,vt: A.P.C.CN.Q.M.L.T.& similibus,quibus Auli,Publij,Caij,Cneij, Quinti,Marci,Lucij,Titi nomina,& similia significantur.Præterea nolim hoc tibi persuadeas,optime Lector,me in ea esse sententia,qui putem hæc Consulum & aliorum Magistratuum, quos hic tibi exhibemus,numismata, eodem semper anno aut tempore publicata & signata fuisse,quo ipsi huiusmodi Magistratũ gerebant,ad quem nummi à nobis appacti sunt. In paucis enim nummis Consulatum expressum videmus: Dictaturam verò in nullis, præterquã in Cæsaris numismatis reperias: Titulum Magistri Equitum nusquam adhuc in nummis deprehendi: & Censuræ inscriptio primùm in Tiberij Claudij Cæsaris numismate legitur. Sed quum ipso istius instituti initio diu multumque mecum cogitarem,& sollicitus hærerem,in quem potissimùm ordinem Consularia hæc numismata à me digeri possent, multa & varia animo agitanti,illa demùm ratio atq; ordo visus est q̃ maximè appositus & cõueniens,quem mihi potissimùm suggessit, imò præscripsit, Mæcenas ille meus ferè vnicus Marcus Laurinus Dominus de Watervliet,omnis rei antiquariæ vti studiosissimus,ita simul & scientissimus: cuius opem atq; operam vti mihi hactenus in omnib. maximo fuisse vsui re ipsa comperi & expertus sum,ita etiam ipsius monitis & consiliis lubentissimè tutissimeq; acquiesco. Is itaq; mihi auctor fuit,vt Fastis Magistratuũ Romanorũ vnà cum Triumphis,cùm ex antiquis monumentis, tum ex aliorum scriptis in ordinem digestis,vti à pluribus ante me factum videbam,nominib.q; Magistratuum simul & Triumphis in tabellas,cuiusmodi vides, transcriptis, quoscunq; nummos reperire possem, in quibus eadem illa nomina legerentur,qui Magistratum illum gessissent,aut Triumphũ egissent, tabellis ipsis adiungerem:quanquam non quidem in eo ipso Magistratu ,cui à

 nobis

Universidad de Deusto
Biblioteca

nobis asscripti & assignati sunt, percussi, sed ab ipsis Quæstoribus, Proquæstoribus, Ædilibus, Triumuiris, Duumuiris, vel dum alio aliquo Magistratu, qui pecuniæ feriundæ facultatem haberet, fungerentur: vti aliquoties in nummis ipsis annotatum videmus. Et cùm plerunque contingat plures eundem simul obire Magistratum, hinc non infrequens est, vt vni numismati duo, nonnunq̃ & tria nomina inscripta legantur. Qui rursus cùm aliàs seorsim vel Consulatũ, vel alium aliquem Magistratum cum alio aliquo gesserint, quàm qui ipsis seu in Quæstura, vel Ædilitate, vel aliàs collega fuit, coactus sum, quanquam inuitus admodum, eundem nummum aliquoties iterare, & pluribus locis proponere, scilicet quoties vnum è nominib. ipsi impressis in Fastis nostris occurreret: ita tamen vt non sæpiùs quàm semel singuli nummi propter singula nomina à nobis in proscænium, vt ita dicam, producta sint: scilicet quæ duo nomina continerent, bis, quæ tria, ter, nec ampliùs. Sicubi autem loca vacua occurrent nõ appictis numismatibus, hîc scias me destitutum fuisse exemplarib. nummorũ, quos iis locis reponerem. Cuius quidem rei culpa, quum locupletissimos eosq́; q̃ plurimos habeam per vniuersam ferè Europam meæ in conquirendis vndiq; nummorũ antiquorum exemplarib. diligentiæ & studij indefessi testes viros præstantissimos, nõ vereor ne in me reiiciatur. Quin potiùs quicquid id est damni & iacturæ (vti est quàm maximum) tempori ipsi, & vetustatis omnia vorantis & consumẽtis inuidiæ & iniuriæ imputandum venit. Vt interim de detestanda imperitorũ quorundam auaritia hîc sileam, qua hactenus maximos optimorum & omnigenûm nummorum aceruos in varios vsus conflârunt, & fructu incredibili iniquissimè nos spoliârunt, vti & aliâs aliquando expostulaui. Atqui magna & certa spes affulget, quæcunque nunc in manibus sunt, & quæ posthac è tenebris erui continget, diligentiùs deinceps fideliusque conseruanda, & ab interitu vindicanda, quòd ea non solùm passim apud omnes magno in pretio, quasi cimelia quædam, haberi videam, verùm etiam quòd quis sit vsus ipsorum numismatũ, simul quantum ex ipsis fructus peti, & vtilitatis percipi possit, nemini ferè obscurũ esse mihi persuadeo. Quanquam non desunt quidam etiamnum viri alioqui non indocti, qui in ea sententia versantur, & obstinatiùs hærẽt, vt credant sterile prorsus & vacuum esse antiquitatis studium, vt in quo sit curiositatis plurimum, fructus nihil aut parum. Quam tam sinistram de re nunquam satis laudata opinionem, vt vel tandem exuant, operæpretiũ me facturũ credidi, si paucis, & quasi παρέργως, varium multiplicemq́; huius studij vsum esse ostenderem. Primùm enim, si rem Grãmaticam tractes, an non multa cognitione non indigna de antiqua & recta vocum scribendarum ratione, quam ὀρθογραφίαν Græci vocant, de pronuntiatione, & notis, tam in nummis ipsis, quàm in reliquis antiquorum monumẽtorum reliquiis, inuenies? Si Poëticen, plurima quoque ex Poëtarum fabulis petita, de Diis Gentium, Semideis, Heroibus, Nymphis, aliaq́; innumera, quę Poëtarum sunt propria, passim se offerunt. Si Iurisprudentiam quæris, & rem politicam?

Varia

Varia occurrent Senatusconsulta, Leges, Magistratus, dignitates, officia, imò vniuersus ferè Reipublicæ Romanæ status, ipsaque administrandæ ratio ex solis ferè nummis cognosci potest. Rursus si te Religionis, & rerum sacrarũ cura tangit, hîc præter varia sacerdotiorũ, quæ apud antiquos erant, genera, publicos sacrificiorum ritus & ceremonias, aliaq́; ad Deorum cultum pertinentia, multifaria quoque sacrorum apparatuum, tam vestium, vasculorũ, quàm aliorum instrumenta inuenias, è quibus non pauca in nostram translata religionem etiam hodie agnoscimus. Quòd si animum tuum delectat historia, quid quæso aliud numismata, quàm Historiæ? etiam his quæ scripto mandatæ, & posteris traditæ sunt, vti diuturnæ magis, ita fideliores & elucidatiores? quòd in his res gestæ figuris expressæ sub aspectum subijciantur, simul etiam verbis additis, vt passim in plærisq́; nummis est videre: ita vt multa veterum rerum monumenta in his apertiùs, quàm in quibusdam quæ manibus hominum teruntur historiis, interdum etiam ea, quorum reliqui scriptores aut nullam, aut non nisi obscuram mentionem fecerunt, explicentur. Quod, si quid aliud, hic certè Fastorum nostrorum liber testatissimum facit: quòd in eo vel per sola numismata quo vides ordine & ratione digesta, obseruato cuiusq; anni tempore, quæ olim Romæ, in Italia, aliisque Prouinciis pace ac bello acciderunt, nõ minùs spectanda, quàm legenda proponuntur. Nec minùs ad rem militarem conferre numismata certum est, tam propter diuersissimorum bellicorum instrumentorum, armorum, machinarum, nauium bellicarum, coronarũ militarium, signorum, vexillorũ, aliorumq́; omnigenûm bellicorum & terra & mari apparatuum, quam ea nobis suppeditant, copiam: quàm ipsarum expeditionum, profectionum, adlocutionum militarium, triumphorum, ouationum rationem, variasque legionum, & cohortium nomenclaturas & appellationes, aliaq́; innumera ad disciplinam militarem spectantia, quæ omnia passim in numismatib. locupletissimè pertractantur, & cognoscenda traduntur. Taceo nunc quantũ hinc iuuari possit, si quis de asse & eius partibus & reliqua re nummaria, aut ponderibus aliquid cõmentari instituat. Quid, quòd nec Geographi nummos sine fructu tractabunt, cùm in his omnium ferè regionum, prouinciarum, vrbium, & fluuiorum non solùm nomina, sed tantùm nõ situs & proprietates graphicè depingantur? Postremò, ne te diutiùs remorer, si Physica & rerum naturalium cognitio, si variarum etiam rarissimarum rerum aspectus te afficit, præter infinita multiformia q́; omnigenûm etiam longissimè petitorum animantium, arborum, plantarum, fruticũ genera, figuras & species, nihil ferè sub cœlo parens natura creauit, nihil operosa ipsiusq́; Naturæ æmula hominum industria inuenit aut parauit, quod non tibi nummi spectandum proponunt: nihil est vsquã memorabile, quod non in numismatibus, aliisque antiquitatis monumentis exprimatur, & tanquam in tabula picta spectandum proponatur. Quæ cùm ita sint, vt nemini deinceps obscu

rum

Universidad de Deusto
Biblioteca

MCXX. Iulius Felix Valentinianus Sex. Aurelius Victor
I. Imp. Caesar Fl. Valentinianus Augustus III. Imp. Caesar Fl. Valens Augustus III.
II. Imp. Caesar Fl. Gratianus Augustus II. Sex. Anicius Petronius Sex. F. Probus
III. Fl. Modestus Fl. Arintheus
IV. Imp. Caesar Fl. Valentinianus Augustus IIII. Imp. Caesar Fl. Valens Augustus IIII.
V. Imp. Caesar Fl. Gratianus Augustus III. Fl. Equitius
VI. Post Consulatum Imp. Gratiani Augusti III. Et Fl. Equitij

Hoc anno ad X V. Kal. Decembreis
Imp. Caesar Fl. Valentinianus Augustus mortuus est.
Eodem anno ex ante diem X. Kal. Decembreis

FL. VALENTINIANVS IVNIOR DIVI VALENTINIANI F. IMP. CAESAR AVGVSTVS APPELLATVS EST.

VII. Imp. Caesar. Fl. Valens Augustus V. Imp. Caesar Fl. Valentinianus Iunior Augustus

Universidad de Deusto
Biblioteca

BELLVM HVNNICVM PRIMVM.

IIX. Imp. Caesar Fl. Gratianus Augustus IIII. Fl. Aurelius Merobaudes

BELLVM GOTHICVM SECVNDVM.

IX. Imp. Caesar Fl. Valens Augustus VI. Imp. Caesar Fl. Valentinianus Iunior Aug. II.
Hoc anno ad V. Idus Augustas
Imp. Caes. Fl. Valens Augustus in Prœlio occisus est
MCXXX. D. Ausonius Magnus Poeonius Gallus Q. Clodius Hermogenianus Olybrius

PAX CVM GOTHEIS FACTA.

Hoc anno ex ante diem XVII. Kal. Februarias

FL. THEODOSIVS IMP. CAESAR AVGVSTVS APPELLATVS EST.

I. Imp. Caesar Fl. Gratianus Augustus V. Imp. Caesar Fl. Theodosius Augustus
Imp. Caesar Fl. Theodosius Pius Felix Perpetuus Augustus Cos.
De Scytheis & Getheis ex Thracia
VIII. Kal. Decembreis
II. Postumus Syagrius Fl. Annius Eucharius
III. Fl. Antonius Postumus Syagrius II.
IV. Fl. Aurelius Merobaudes II. Fl. Saturninus
Hoc anno ad VIII. Kal. Septembreis
Imp. Caesar Fl. Gratianus Augustus occisus est
V. Fl. Ricimer Fl. Clearchus
Hoc anno ex ante diem XVII. Kal. Februarias

FL. ARCADIVS THEODOSII AVG. F. IMP. CAES. AVGVSTVS APPELLATVS EST.

VI. Imp. Caesar Fl. Arcadius Augustus Fl. Bauto
VII. Fl. Honorius Theodosij Augusti F. qui postea Fl. Euodius
Imp. Caesar Augustus appellatus est.
Imp. Caesar Fl. Theodosius Pius Felix Perpetuus Augustus
Iterum
De Scytheis & Geteis ex Germania
//////////////////
IIX. Imp. Caesar Fl. Valentinianus Iunior Aug. III. Fl. Eutropius Fl. F. Valerianus
IX. Imp. Caesar Fl. Theodosius Augustus II. Fl. Synegius
MCXL. Fl. Timasius Fl. Promotus
Imp. Caesar Fl. Theodosius Pius Felix Perpetuus Aug.
III. Cos. II. pro Cos.
De Maximo Tyranno ex Gallia /////Iunias
I. Imp. Caesar Fl. Valentinianus Iunior Augustus IIII. Fl. Neoterius
II. Ti. Fabius Titianus Q. Aurelius L. F. Auianius Symmachus
III. Imp. Caesar Fl. Arcadius Augustus II. Fl. Rufinus
Hoc anno Idibus Maijs
Imp. Caes. Fl. Valentinianus Iunior Augustus mortuus est.

FL. EVGENIVS IMP. CAES. AVG. APPELLATVS EST

IV. Imp. Caesar Fl. Theodosius Augustus III. Fl. Habundantius
Hoc anno ex ante diem IIII. Idus Ianuarias

FL. HONORIVS THEODOSII AVG. F. IMP. CAESAR AVGVSTVS APPELLATVS EST.

V. Imp. Caesar Fl. Arcadius Augustus III. Imp. Caesar Fl. Honorius Augustus II.
Imp. Caesar Fl. Theodosius Pius Felix Augustus IIII. Cos. III.
De Eugenio & Arbogaste Tyranneis ex Gallia
////////////// Octobr. Sex. Anicius

VI. Sex. Anicius Sex. F Hermogenianus Olibrius Sex. Anicius Sex. F. Probinus
Hei Fratres germani fuerunt.
Hoc anno ad XVI. Kal. Februarias.
Imp. Caesar Fl. Theodosius Augustus mortuus est.
VII. Imp. Caesar Fl. Arcadius Augustus IIII. Imp. Caesar Fl. Honorius Augustus III.
IIX. Fl. Caesarius Pontius Atticus
IX. Imp. Caesar Fl. Honorius Augustus IIII. Fl. Eutychianus
CI. Fl. Mallius Theodorus Fl. Eutropius in Magistratu occisus est.
I. Fl. Stilico Magister vtriusque Militiae Fl. Aurelianus
II. Ragonius Vincentius Celsus Fl. Frauitta
III. Imp. Caesar Fl. Arcadius Augustus V. Imp. Caesar Fl. Honorius Augustus V.
Hoc anno ex ante diem XVII. Kal. Februarias

FL. TEODOSIVS IVNIOR ARCADII AVGVSTI F. IMP. CAESAR AVGVSTVS APPELLATVS EST.

IV. Imp. Caes. Fl. Theodosius Iunior Augustus Fl. Rumoridus

BELLVM GOTHICVM TERTIVM.

V. Imp. Caesar Fl. Honorius Augustus VI. Fl. Aristainetus
VI. Fl. Stilico Magister Vtriusque Militiae II. Fl. Anthemius
VII. Imp. Caesar Fl. Arcadius Augustus VI. Sex. Anicius Sex. F. Sex. N. Petronius Probus
IIX. Imp. Caesar Fl. Honorius Augustus VII. Imp. Caesar Fl. Theodosius Iunior Augustus II.
IX. Anicius Bassus Fl. Philippus
Hoc anno Kalend. Maijs
Imp. Caesar Fl. Arcadius Augustus mortuus est.
MCLX. Imp. Caesar Fl. Honorius Augustus VIII. Imp. Caesar Fl. Theodosius Iunior August. III.
I. Post Cōsulatum Imp. Caes. Honorij Aug. VIII. Et Imp. Caes. Theodosij Iunioris Augusti III.
Ex K. Iulijs. Fl. Tertulus Ex K. Februar. Fl. Varari
Hoc anno ad I X. Kalend. Septembreis.

VRBS ROMA A GOTHEIS PRIMO CAPTA EST.

II. Imp. Caes. Theodosius Iunior Augustus IIII. Sine Conlega.
III. Imp. Caesar Fl. Honorius Augustus IX. Imp. Caes. Fl. Theodosius Iunior Augustus V.
IV. Fl. Lucianus Fl. Herodianus
V. Fl. Constantius Magister vtriusque Militiae, qui postea Nobilis. Caesar appellatus est. Fl. Constans

PAX CVM GOTHEIS ITER. FACTA.

BELLVM VVANDALICVM ET ALANICVM.

VI. Imp. Caesar Fl. Honorius Augustus. X. Imp. Caes. Fl. Theodosius Iunior Augustus. VI.
VII. Imp. Caesar Fl. Theodosius Iunior August. VII. Iunius Quartus Palladius.
IIX. Imp. Caesar Fl. Honorius Augustus. XI. Fl. Constantius Magister vtriusque Militiæ. II.
Imp. Caesar. Fl. Honorius Diui Theodosij. F. Pius Felix
Perpetuus Augustus Gothicus Cos. XI.
De Gotheis et Attallo Tyranno Ex Gallia
///// //////// ///////
IX. Imp. Caesar Fl. Honorius Augustus. XII. Imp. Caes. Fl. Theodosius Iunior Augustus VIII.
MCLXX. Fl. Monaxius. Fl. Plintha
I. Imp. Caes. Fl. Theodosius Iunior Augustus. IX. Fl. Constantius Nobilissimus Caesar. III.
II. Fl. Agricola. Fl. Eustachius
III. Imp. Caesar Fl. Honorius Augustus XIII. Imp. Caes. Fl. Theodosius Iunior Augustus. X.
IV. Rufius Praetextatus Marinianus Fl. Asclepiodotus
Hoc anno ad XVIII. Kal. Septembreis
Imp. Caesar Fl. Honorius Augustus mortuus est
V. Fl. Constantinus Magister Vtriusque Militiæ Fl. Iulius Victor
VI. Imp. Caes. Fl. Theodosius Iunior Augustus XI. Fl. Placidius Fl. F. Valentinianus Nob. Caesar
Hoc anno

Universidad de Deusto
Biblioteca

CATALOGVS CONSVLVM

Hoc anno ex ante diem Idus Octobris

FL. PLACIDIVS FL. CONSTANTII CAESARIS F.

VALENTINIANVS IMP. CAESAR AVGVSTVS

APPELLATVS EST.

VII. Imp. Caes. Fl. Theodosius Iunior Augustus XII. — Imp. Caes. Fl. Placidius Valentinianus August. II.
IIX. Fl. Hierius — Fl. Ardaburius

PAX CVM VVANDALEIS FACTA

IX. Fl. Felix — Fl. Taurus
MCXXC. Fl. Florentius — Fl. Dionysius
I. Imp. Caes. Fl. Theodosius Iunior Augustus XIII. — Imp. Caes. Fl. Placidius Valentinianus Aug. III.
II. Anicius Bassus — Fl. Antiochus
III. Fl. Aetius Magister Vtriusque Militiæ — Fl. Valerius
IV. Imp. Caes. Fl. Theodosius Iunior Augustus XIIII — Fl. Anicius Maximus qui postea Imp. Caesar Augustus appellat. est
V. Fl. Licinius Aspar — Fl. Areobinda
VI. Imp. Caes. Fl. Theodosius Iunior Augustus XV. — Imp. Caes. Fl. Placidius Valentinianus Aug. IIII
VII. Fl. Isidorus — Fl. Senator

PAX CVM HVNNEIS FACTA.

IIX. Fl. Aetius Magister Vtriusque Militiæ II. — Fl. Sigeaultes
IX. Imp. Caes. Fl. Theodosius Iunior Augustus XVI. — Anicius Acilius Glabrio Faustus
MCXC. Imp. Caes. Fl. Theodosius Iunior August. XVII. — Fl. Festus
I. Imp. Caes. Fl. Placidius Valentinianus Aug. V. — Fl. Anatolius
II. Post Consulat. Imp. Caes. Valentiniani Aug. V. — Fl. Cyrus Panopelites sine Conlega
III. Fl. Dioscorus — Fl. Eudoxius
IV. Fl. Anicius Maximus II. — Fl. Paternus
V. Imp. Caes. Fl. Theodosius Iunior August. XVIII. — Caecina Decius Albinus
VI. Imp. Caes. Fl. Placidius Valentinianus Aug. VI. — Fl. Nonius
VII. Fl. Aetius Magister Vtriusque Militiæ III. — Q. Aurelius Symmachus

BELLVM HVNNICVM SECVNDVM.

IIX. Faltonius Probus Alypius — Fl. Ardaburius
IX. Rufius Prætextatus Postumianus — Fl. Zeno
MCC. Turcius Secundus Asterius — Fl. Protogenes
I. Imp. Caes. Fl. Placidius Valentinianus Aug. VII. — Genadius Valerius Coruinus Auienus

Hoc anno ad V. kal. Augustas
Imp. Caes. Fl. Theodosius Iunior Augustus mortuus est.

FL. MARCIANVS IMP. CAES. AVGVSTVS

APPELLATVS EST.

II. Imp. Caesar Fl. Marcianus Augustus — Clodius Adelphius
III. Herculanus — Asporatius
IV. Fl. Opilio — Fl. Vincomalus
V. Fl. Aetius — Fl. Studius
VI. Imp. Caes. Fl. Placidius Valentinianus Aug. VIII — Fl. Anthemius, qui postea Imp. Caes. Augustus appellatus est.

Hoc anno ad XVI. kal. Aprileis
Imp. Caesar Fl. Placidius Valentinianus Aug. occisus est

FL. ANICIVS MAXIMVS IMP. CAES. AVGVSTVS

APPELLATVS EST.

Eodem anno Pridie Idus Iunias
Imp. Caes. Fl. Anicius Maximus Aug. occisus est
Eodem die
VRBS ROMA A VVANDALEIS ITERVM CAPTA EST
Eodem anno ex ante diem VI. Idus Iulias

FL. MAECILIVS AVITVS IMP. CAES. AVGVSTVS

APPELLATVS EST.

Fl. Ioan-

VII. Fl. Ioannes — Fl. Varari

Hoc anno ad XVI. kal. Iunias
Imp. Caes. Fl. Maecilius Auitus Aug. coactus a Fl. Ricimere Magistro Vtriusque Militiæ, Imperium abdicauit.

IIX. Fl. Constantinus — Fl. Rufus

Hoc anno ad VII. kal. Februarias
Imp. Caesar Fl. Marcianus Aug. mortuus est.

IMP. CAES. FL. LEO AVG. IMPERIVM ACCEPIT.

Hoc anno ex ante diem kal. Aprileis.

FL. IVLIVS VALERIVS MAIORIANVS IMP. CAES.

AVG. APPELLATVS EST.

CCX. IX. Imp. Caesar Fl. Leo Augustus — Imp. Caes. Fl. Iulius Valerius Maiorianus Aug.
Fl. Ricimer Magister Vtriusque Militiæ — Fl. Patricius
I. Magnus — Apollonius
II. Fl. Seuerinus — Fl. Dagalaiphus

Hoc anno ad IIII. Nonas Augustas
Imp. Caes. Fl. Iulius Valerius Maiorianus Aug. coactus a Fl. Ricimere Magistro Vtriusque Militiæ, Imperium abdicauit.

Eodem anno ad VIII. Idus Augustas
Fl. Iulius Valerius Maiorianus qui Imperator fuerat occisus est.

Eodem anno ex ante diem XIII. kal. Decembreis

FL. VIBIVS SEVERVS IMP. CAES. AVG. APPELLAT. EST.

III. Imp. Caesar Fl. Leo Augustus II. — Imp. Caes. Fl. Vibius Seuerus Augustus
IV. Caecina Decius Basilius Felix — Fl. Vibianus
V. Fl. Rusticus — Fl. Anicius Olybrius
VI. Fl. Herminericus — Fl. Basiliscus qui postea Imp. Caesar Augustus appellatus est.

Hoc anno ad XIIX kal. Septembreis
Imp. Caes. Fl. Vibius Seuerus Aug. mortuus est.

VII. Imp. Caesar Fl. Leo Augustus III. — Sine conlega
Suffectus Ex kal. Iulijs — Ti. Fabius Titianus
IIX. Fl. Pusaeus — Fl. Ioannes

Hoc anno ex ante diem Pridie Idus Aprileis

FL. ANTHEMIVS IMP. CAES. AVG. APPELL. EST.

CCCX. IX. Imp. Caesar Fl. Anthemius Augustus II. — sine conlega
Fl. Marcianus — Fl. Zeno Isauricus qui postea Imp. Caesar Augustus appellatus est.
I. Fl. Seuerus — Fl. Iordanes
II. Imp. Caesar Fl. Leo Augustus IIII. — Fl. Probianus
III. Fl. Festus — Fl. Marcianus II.

Hoc anno ad V. Idus Iulias
Imp. Caesar Fl. Anthemius Augustus occisus est.

FL. ANICIVS OLYBRIVS IMP. CAES. AVGVSTVS

APPELLATVS EST.

Eodem anno ad X. kal. Nouembreis
Imp. Caesar Fl. Anicius Olybrius Augustus mortuus est
IV. Imp. Caesar Fl. Leo Augustus V. sine conlega

Hoc anno ex ante diem Pridie Nonas Februarias

FL. LEO IVNIOR AVG. F. A PATRE IMP. CAES.

AVG. APPELLATVS EST.

II. Eodem

Universidad de Deusto
Biblioteca

Eodem anno ex ante diem III. Nonas Martias

FL. GLICERIVS IMP. CAES. AVG. APPELLATVS EST

VI. Imp. Caesar Fl. Leo Iunior Augustus sine conlega

Hoc anno ad /////// Idus Ianuarias
Imp. Caesar Fl. Leo Augustus mortuus est.
Eodem anno ex ante diem XIIII. kal. Februarias

FL. ZENO ISAVRICVS IMP. CAES. AVGVSTVS

APPELLATVS EST.

Eodem anno ad VIII. kal. Iulias
Imp. Caes. Fl. Glycerius Aug. coactus Imperium abdicauit.

FL. IVLIVS NEPOS IMP. CAES. AVGVSTVS

APPELLATVS EST.

VII. Imp. Caesar Fl. Zeno Isauricus Augustus II. sine conlega
Hoc anno Imp. Caesar Fl. Leo Iunior Aug. mortuus est, Et
Imp. Caesar Fl. Zeno Isauricus Aug. Imperio exactus.

FL. BASILISCVS IMP. CAES. AVGVSTVS

APPELLATVS EST.

Eodem anno ad V. kal. Septembreis
Imp. Caes. Fl. Iulius Nepos Aug. coactus ab Oreste Patricio Imperium abdicauit.

Eodem anno ex ante diem Pridie kal. Nouembreis

FL. MOMYLLIVS AVGVSTVLVS IMP. CAES.

AVGVSTVS APPELLATVS EST.

IIX. Imp. Caesar Fl. Basiliscus Augustus II. Fl. Armatus

Hoc anno ad X. kal. Septembreis
Imp. Caes. Fl. Momyllius Augustulus Augustus coactus ab Odouacre
Gothorum Rege, Imperium abdicauit, fuit in Occidente
Interregnum annorum CCCXXIIII. mensium
IIII. vsque ad annum primum Imperij
Caroli Magni

Eodem anno ad VII. Idus Nouembreis
Imp. Caesar Fl. Basiliscus Augustus coactus ab Imp. Caesare Zenone
Isaurico Augusto Imperium abdicauit.

IMP. CAES. FL. ZENO ISAVRICVS AVGVSTVS

IMPERI · ITERVM RECEPIT.

IX.	Fl. Illus		sine conlega	
MCCXXX.	Imp. Caesar Fl. Zeno	Augustus III.	sine conlega	
I.	Fl. Basilius Iunior		sine conlega	
II.	Fl. Placidus		sine conlega	
III.	Fl. Seuerinus		Ti. Trocundus	
IV.	Anicius	Faustus	sine conlega	
V.	Rex Gothorum Theodericus	Amalus	Fl. Venantius Decius	
VI.	Q. Aurelius Q. F.	Symmachus	sine conlega	
VII.	Decius	Maurus Caecina	Fl. Longinus	
IIX.	Anicius Manlius	Seuerinus Boetius	sine conlega	
IX.	Claudius Iulius	Aedesius Dynamius	Fl. Sifidius	Chronio
MCCXL.	Anicius	Probinus	Eusebius	II.
I.	Auienus Faustus	Iunior	Fl. Longinus	
II.	Fl. Olybrius Iunior		sine conlega	

Hoc anno ad VIII. Idus Aprileis.
Imp. Caesar Fl. Zeno Isauricus Augustus mortuus est.

IMP. CAES. FL. ANASTASIVS DICORVS AVG.

IMPERIVM ACCEPIT.

Imp. Caesar

III.	Imp. Caesar Fl. Anastasius Dicorus Augustus		Fl. Rufinus	
IV.	Decius	Albinus	Eusebius	Chronio. II.
V.	Turcius Secundus	Asterius	Fl. Praesidius	
VI.	Fl. Viator		Fl. Aemilius	
VII.	Fl. Paullus		Sine conlega	
IIX.	Imp. Caesar Fl. Anastasius Dicorus Aug. II.		Sine conlega	
IX.	Decius	Paullinus	Ioannes Scytha	
CCCI.	Fl. Ioannes	Gibbus	Fl. Asclepius	
I.	Fl. Patricius		Fl. Hypatius	
II.	Rufius Magnus Faustus Auienus	Senior	Fl. Pompeius	
III.	Rufius Magnus Faustus Auienus	Iunior	Fl. Probus	
IV.	Fl. Dexecratus		Fl. Volusianus	
V.	Fl. Cethaeus		Sine conlega	
VI.	Fl. Manlius	Theodorus	Fl. Sabinianus	
VII.	Fl. Messalla		Fl. Areobinda	
IIX.	Imp. Caesar Fl. Anastasius Dicorus Aug. III.		Venantius	Decius
IX.	Basilius Venantius	Decius Iunior	Fl. Celer	
CCCLX.	Importunus Decius		Sine conlega	
I.	Anicius Manlius Seuerinus	Boetius	Eutharicus	
II.	Felix Felicis F.	Gallus	Secundinus	
III.	Fl. Paullus		Fl. Muschianus	
IV.	Anicius	Probus	Fl. Clementinus	
V.	M. Aurelius	Cassiodorus Senator	Sine conlega	
VI.	Fl. Florentius		Fl. Anthemius	
VII.	Fl. Petrus		Sine conlega	
IIX.	Imp. Caesar Fl. Anastasius Dicorus Aug. IIII.		Agapitus	
IX.	Fl. Magnus		Fl. Florentius	

Hoc anno ad V. Idus Iulias
Imp. Caesar Fl. Anastasius Dicorus Aug. mortuus est.

IMP. CAES. FL. ANICIVS IVSTINVS AVGVSTVS

IMPERIVM ACCEPIT

CCCLXX.	Imp. Caesar Fl. Anicius Iustinus	Augustus	Fl. Eutharicus	Cillica Amalus
I.	Fl. Rusticus		Fl. Vitellianus,	in Magistratu occisus est
II.	Fl. Valerius		Fl. Anicius	Iustinianus, qui postea
			Imp. Caesar Augustus appellatus est	
III.	Q. Aurelius Anicius	Symmachus	Anicius Manlius Seuerinus	Boetius. II.
IV.	Fl. Anicius	Maximus	Sine conlega	

BELLVM VVANDALICVM SECVNDVM.

V.	Imp. Caesar Fl. Anicius Iustinus Aug. II.		Fl. Opilio	
VI.	Anicius Probus	Iunior	Fl. Philoxenus	
VII.	Anicius Olybrius	Iunior	Sine conlega	
IIX.	Fl. Mauortius		Sine conlega	

Hoc anno ex ante diem kal. Aprileis

FL. ANICIVS IVSTINI AVG. F. IVSTINIANVS

A PATRE IMP. CAESAR AVGVSTVS APPELLATVS EST.

Eodem anno kal. August.
Imp. Caesar Fl. Anicius Iustinus Augustus Mortuus est.

IX.	Imp. Caesar Fl. Anicius Iustinianus Aug. II.		Sine conlega	
MCCXXC.	Caecina Maurus Decius	Basilius Iunior	Sine conlega	
I.	Postumius Lampadius		Fl. Orestes	
II.	Post Consulatum Postumij	Lampadij	& Orestis	
III.	II. Post Consulatum Postumij	Lampadij	& Orestis	
IV.	Imp. Caes. Fl. Anicius Iustinianus August. III.		Sine conlega	

Universidad de Deusto
Biblioteca

v. Imp. Caes. Fl. Anicius Iustinianus August. IIII. Decius Theodorus — Paullinus

Fl. Belisarius Magister vtriusque Militiae Cos. Designatus
De VVandaleis et Rege Gilimere
ex Africa ////// //////

BELLVM GOTHICVM ITALICVM.

VI. Fl. Belisarius — Sine conlega
VII. Post Consulatum — Fl. Belisarij
IIX. II. Post Consulatum — Fl. Belisarij

Hoc anno Mense Decembr.

ROMA EXACTIS GOTHEIS RECVPERATA.

IX. Fl. Ioannes — Fl. Volusianus
MCCXC. Fl. Appio Aegyptius — Sine conlega

Fl. Belisarius Magister Vtriusque Miltiae
Pro Cos. iterum
De Gotheis et Rege VVitige
ex Italia
////// ////// //////

I. Fl. Iustinus — Germani F. Sine conlega
II. Fl. Basilius — Iunior Sine conlega
III. Post Consulatum — Fl. Basilij Iunioris
IV. II. Post Consulatum — Fl. Basilij Iunioris

Hoc anno ad IIII. Non. Februar.

VRBS ROMA A GOTHEIS TERTIVM CAPTA.

V. III. Post Consulatum — Fl. Basilij Iunioris
VI. IIII. Post Consulatum — Fl. Basilij Iunioris
VII. V. Post Consulatum — Fl. Basilij Iunioris
IIX. VI. Post Consulatum — Fl. Basilij Iunioris
IX. VII. Post Consulatum — Fl. Basilij Iunioris

Hoc anno ad XVII. kal. Aprileis

VRBS ROMA A GOTHEIS QVARTVM CAPTA.

HVBERTI GOLTZII.

DE ORIGINE ET STATV POP. RO. MAGISTRATVVMQVE APVD ROMANOS INITIIS ET MVTATIONIBVS.

TROIA CAPTA in cæteros sæuitum est Troianos, a duobus tantùm Aenea atque Antenore cum socijs, tum propter vetustum ius hospitij, tum potissimnm quòd pacis reddendæque Helenæ semper auctores fuissent, omne ius belli abstinuêre Achiui. Ex his Aeneas patria profugus nouas quærens sedes, primò in Thessaliam appulit: inde in Siciliam delatus, postremò e Sicilia in Italiam cum classe traiecit: ibique Laurentem agrum tenuit, locoque Troiæ nomen indidit. Vbi quum Troiani munitionibus suis egressi prædam ex agris agerent, Rex Latinus Aboriginésque, qui tum ea loca tenebant, ad arcendam aduenarum vim armati ex vrbe atque agris concurrunt. Qui postquam audissent eam multitudinem Troianos esse, ducem verò Aeneam, dextris iunctis fœdus inijsse, & fidem futuræ amicitiæ sanxisse traduntur: Aeneámque Latini hospitio vsum, & Latinum apud Deos Penates domestico publicum fœdus adiunxisse, Lauinia filia hospiti Aeneæ in matrimonium tradita. Hinc oppidum conditur, quod Aeneas ab nomine vxoris Lauinium appellat. Ibi postquam tribus annis regnasset Aeneas, Ascanius ipsius filius regnum excepit. Hic abundante Lauinij multitudine, sub monte Albano nouam vrbem condidit, Albámque nominauit. Cúmque XXXVIII. regnasset annos, Siluium Postumum heredem regnique successorem instituit. Hunc quidam fratrem Ascanij, alij filium fuisse tradidêre. Postumo successit Aeneas Siluius, Aeneæ Latinus Siluius, qui Albam genuisse, successorémque habuisse fertur. Alba Atyn genuit, Atys Capyn, Capys Capetum, Capetus Tiberinum. Ex Tiberino Agrippa superfuit, qui Romulum Siluium progenuit. Ea Siluio natus est Procas: qui quum XXII. regnasset annos, decedens duos superstites reliquit filios, Numitorem & Amulium. Ex his Amulius Numitorem fratrem natu maiorem e solio deijcit, stirpéque ipsius virili interemta Rhean Siluiam fratris filiam, vti partum auerteret & spem sobolis præriperet, virginem Vestalem sacrat. Sed illa a Marte (vti creditur) in somnis compressa, geminos vno partu Remum & Romulum edidit. Id vbi Amulius Rex intellexit, matre in vincula conjecta, nati regio edicto in aquam profluentem mitti iubentur. Quos postquam aqua decrescens in sicco destituit, fama est Faustulum pastorem regium, casu in Lupam geminos qui ab vberibus pendebant lambentem incidisse, raptósque a feræ vberibus paruulos vxori Accæ Laurentiæ nutriendos tradidisse. Iam adulti iuuenes, corporísque & animi vires adepti, cognita origine & conditione sua, Amulio interfecto, Numitori auo regnum restituunt: coactaq; pastorum manu vrbem condunt; hanc Romulus Remum fratrem augurio superans Romam a se vocauit. Condita autem est sextæ Olympiadis anno quarto ad XI. kal. Maij, qui dies natalis vrbis postea Parilia appellatus est. Ad tutelam nouæ vrbis sufficere vallum videbatur, cuius dum angustias irridet Remus etiã transilire ausus, a Fabio Celere centurione, dubiũ an iussu fratris, occisus traditur. Incolæ deerant: Hinc Asylum Romulus aperuit, & ex varijs quasi elementis corpus vnum congregauit, populúmque Romanum appellauit. Connubia nouæ multitudini deerant, ideoque matrimonia a finitimis petita: quæ quia non impetrabantur, simulatis ludis equestribus, ad quorum spectaculum vicini conuenirent populi, manu capta sunt. Mulierum & virginum raptus caussã bellorum fuit. Hinc pulsi fugatique

LAVINIVM CONDITVM.
ALBA CONDITA. REGES ALBANI.
ROMA CONDITA.
PARILIA.
SABINAE RAPTAE.

Universidad de Deusto
Biblioteca

PRIMVS TRIVMPHVS

Veientes oppidum Cenninenſium captum & dirutum: primúmque Triumphum egit Romulus, qui & Acrone Cenninenſium duce cæſo ſpolia opima humeris reportans eadem Ioui Feretrio in Capitolio conſecrauit. Sabini quoque per id tempus ob captas quum filias tum ſorores & cõiuges, bellum aduerſus Romanos ſuſcepêre: qui cum

BELLVM SABINVM

Romæ appropinquarent, portæ ipſis per virginem Tarpeiam proditæ ſunt: quúmq; illa mercedem proditionis, id quod Sabini brachio ſiniſtro geſtabant ex pacto ſibi dari petijſſet, de armillis aureis intelligens, a Sabinis ſecus interfectantibus, clypeis, quos itidem in brachio ſiniſtro habebant, obruta, perfidiæ impietatiſque in patriam debitas exoluit pœnas. Vrbe a Sabinis capta, eò tandem deuentum eſt, vt pace cũ T. Tatio Sabinorum rege facta, & fœdere percuſſo, Sabini relictis ſedibus auitis in nouam vrbem commigrarent: & Romani a Curibus Sabinorum oppido Quirites deinceps vocarentur. Et tunc quidem primùm iura legéſque Romanis dari cæptæ: centum Senatores creati, qui ab auctoritate & ætate proiectiori Patres appellati: inſtitutæque tres equitum centuriæ: Reliqua verò plebs in triginta Curias diſtributa. His ſic conſtitutis Romulus quum ante vrbem apud Capreæ paludem ad populum concionem haberet, anno ab vrbe condita XXXVII repente e medio ſublatus, Diuorum numero adſcriptus, & Quirinus appellatus eſt. Anno inſequenti interregnum viciſſim apud patres fuit. Cæterum populo grauis viſa eſt ea regnandi conditio: Quúmq; placuiſſet vt populus regem iuberet, ſi patres auctores fierent, adeò id gratum plebi fuit, vt iuberet ſtatim Senatum decernere, qui Romæ regnaret. Celebrabatur ea tempeſtate Pompilij Sabini iuſtitia & religio. Hunc igitur ſecundum a Romulo Populo & Patribus regnare placuit, anno ab vrbe condita XXXIX. Hic bellum quidem nullum geſſit, ſed non minus quàm Romulus ciuibus ſuis profuit. Primus enim nouam Rempublicam optimis ſaluberrimíſq; legibus, decretis & inſtitutis firmauit atq; ornauit: Romanóſque, qui propter latrociniorum & prœliorum conſuetudinem hactenus pro ſemibarbaris a vicinis habebantur, cerimonias atque omnẽ alium vitæ cultum edocuit, varijſque pacis artibus aſſuefecit. Annum antea confuſum in menſes XII. digeſſit. Tum dies quoſdam Faſtos, alios Nefaſtos eſſet iuſſit. Et vt religione iniecta, Deorúmque timore animos truces ad mitiora flecteret, ad curam rerum Diuinarum conuerſus, ſacra præſcripſit: ſacerdotes, augures, & virgines Veſtales, Pontifices minores, ipſúmq; Pontificẽ Maximum creauit: alióſq; ſacros ordines inſtituit, & per conlegia diſtribuit. Ancilia atq; Palladium, quaſi ſecreta quædam æterni Imperij pignora, Romanis colenda, religioſiſſimeque adſeruanda dedit: & pace vbique parta an. ab vrb. cond. XLII Ianum primus cluſit. Atque hæc quidem omnia quaſi monitu & inſtinctu Aegeriæ cuiuſdam Deæ, cuius ſe colloquio familiarius vti, & conſilijs iuuari fingebat: quò apud rudes etiamnum ſibi decretíſque ſuis ampliorem auctoritatẽ & fidem conciliaret. Poſtremò poſtquam maxima tam finitimorum quàm ſuorũ cum obſeruatione & reuerẽtia annos tres & quadraginta regnaſſet, ex morbo decedens in Ianiculo ſepultus eſt. Tullus Hoſtilius exinde tertius creatur Rex: cui propter virtutem regnum vltro delatum eſt. Hic ad bella promtiſſimus fuit, ipſo etiam Romulo animoſior. Primum bellum contra Albanos ſuſcepit, ſed quod paucorum cruore & fortuna finiretur. Nam trigeminis Horatijs Romanorum & trigeminis Curiatijs Albanorum res hoc fœdere committitur, vt qui ex his viciſſent populus pro quo pugnarent alteri imperaret Vicêre Horatij; ita Albani ſub imperio Romanorum fuêre. Sed haud diu in fide remanſêre. Fidenati námque bello Metius quidam Fuffetius Albanus a Tullo rege in auxilium & ad belli ſocietatem vocatus, copias ſuas in collem ſubduxit, vt belli fortunam operiretur ac ſequeretur. Qui quum poſtridie deuictis Fidenatibus ad Tullum veniſſet, tanquam victoriam heſternam ipſi gratulaturus, iubente Rege quatuor equis manibus pedibúſque alligatus ac in diuerſa diſtractus, meritas perfidiæ pœnas dedit. Albaque diruta vrbis Romæ ampliandæ cauſſa fuit, adiecto atque intra pomerium recepto monte

ROMA CAPTA.

DIVVS ROMVLVS QVIRINVS.

INTERREGNVM.

NVMA POMPILIVS REX II.

IANVS CLVSVS.

TVLLVS HOSTILIVS REX III.

ALBA DIRVTA.

monte Cælio. Demum Tullus Fulminis ictu cum tota domo abſumptus, poſtquam annos triginta duos regnaſſet, interijt. Poſt hunc Ancus Martius Numæ ex filia nepos regnum ſuſcepit, vir pace iuxta ac bello clarus, nec minus armorum quàm religionis promouendæ ſtudioſus. Ad ſacra tamen primùm & templa condenda ornandáque animum appulit. Mox a ſacris ad arma conuerſus, Latinos bello domuit. Poſt hæc ampliato pomœrio Auentinum & Ianiculum montes vrbi incluſit: nouaque vrbi mœnia circundedit. Pontem ſublicium ſupra Tiberim fecit: ſiluas ad vſum nauium publicauit: ſalinarum vectigal inſtituit: Oſtiam coloniam maritimam cõmeatibus opportunam in oſtio Tiberis deduxit. His rebus intra paucos annos magna cum laude effectis, anno regni ſui vigeſimo quarto immatura morte præreptus, qualem ſe promiſerat regem præſtare non potuit. Anno deinde ab vrb. cond. CXXXVIII. L. Tarquinius Damarati filius, qui poſtea Priſcus appellatus eſt, regnum tenuit. Hic Senatorum & Equitum numerum duplicauit; inſignia atque ornamenta triumphalia ab Etruſcis rettulit. Circum Maximum ex manubijs extruxit: muro lapideo vrbem cinxit, & cloacas fecit: Capitoliúmque inchoauit. Ludos magnos ſiue Romanos inſtituit. Et tãdem cum annos regnaſſet triginta ſeptem per Anci filios occiſus eſt. Poſt hunc Seruius Tullius regno potitus eſt, nobili quidem femina, ſed captiua & ancilla genitus, Ocriſia illi nomen erat. Hinc Seruio ipſi nomen inditum volunt. Hic primus iniuſſu Populi & ſine Patrũ auctoritate regnauit. Vrbem in quatuor tribus partitus, Luſtrum primus condidit anno ab vrb. cond. CXXCVII, Cenſúmque inſtituit, quo paci & bello opportuna redimerentur. Populum in claſſes & centurias diuiſit. Montes tres Viminalem, Quirinalem & Exquilinum vrbi adiunxit. Ludos Compitalicios inſtituit: pondera & menſuras præſcripſit: æreum nummum primus ſignauit, murúmque vrbis a Priſco inchoatum perfecit. Poſtremò a L. Tarquinio Priſci filio genero ſuo, anno regni quadrageſimo quarto inſtinctu filiæ obtruncatur. L. inde Tarquinius regnum inuadit anno ab vrb. cond. CCXIX. qui imperium per ſcelus partum ita contumaciter rexit, vt Superbi inde cognomen acceperit, in Patres & Senatum ſæuiens, iniuſſu populi & ſine Patrum & Senatus auctoritate ad lubitum agens omnia. Templum Iouis, quod Priſcus pater ipſius in Capitolio ex manubijs inchoauerat, magno ſumptu & labore abſoluit. Ferias Latinas inſtituit. Demum ob ſtupri a Sexto ipſius filio Lucretiæ per vim illati dedecus & inuidiam, Iunij potiſſimum Bruti opera imperio abrogato, regno atque vrbe pulſus cum ſceleſta coniuge ac filijs in exilium profectus eſt, anno regni trigeſimo quinto, ab vrbe verò condita CCXLIII. Ita poſtquam Romæ a ſeptem regibus per annos ducentos quadraginta tres regnatum eſſet, exacto cum ſtirpe regia ipſo rege, Libertas populo Romano aſſerta eſt. Et quo die Tarquinius in exilium actus eſt, is dies poſtea Regifugium appellatus. Anno dehinc ab vrbe condita ducenteſimo quadrageſimo quarto pulſis iam regibus, ſub conſulibus iura Romana fuêre: Conſuléſque duo pro vno rege creari cœpti. Placuit autem ne imperium longius quàm annum haberent, ne diuturnitate ipſa poteſtatis & conſuetudine imperandi inſolentiores redderentur, qui ſe anno expleto in priuatorum ordinem redigendos ſcirent. Primique poſt reges ejectos anno ab vrbe condita CCXLIIII. creati ſunt L. Iunius Brutus, L. Tarquinius Collatinus Lucretiæ maritus. Sed Collatino propter communem Tarquiniæ gentis inuidiam ſtatim dignitas abrogata eſt. Cautum enim fuerat ne quis hoc nomine in vrbe remaneret. In eius locum ſuffectus eſt P. Valerius Poplicola. Haud multò poſt Porſenna rex Ethruſcorum collectis validis copijs Tarquinium regem, qui regno pulſus ad ipſum confugerat, reducebat. Hinc bellum Ethruſcum exortum eſt; Brutúſq; Cos. in prima quę commiſſa eſt pugna, Aruntem Tarquinij filium ſua manu occidit, mutuoque vulnere ſuper ipſum in prœlio expirauit. Romani autẽ poſtquàm Tarquinios regémque Porſennam occupato Ianiculo ipſis vrbis faucibus incubantes aliquandiu ſuſtinuiſſent, demum pulſo rege cum Tarquinijs, victores

ANCVS MARTIVS REX IIII.

OSTIA CONDITA.

L. TARQVINIVS PRISCVS REX V.

SER. TVLLIVS REX. VI.

LVSTRVM PRIMVM CONDITVM. CENSVS INSTITVTVS.

L. TARQVINIVS SVPERBVS REX. VII.

REGIFVGIVM.

PRIMI CONSVLES.

BELLVM ETHRVSCVM.

Universidad de Deusto
Biblioteca

victores euasêre. In Bruti occisi locum T. Lucretium Tricipitinum Lucretiæ patrem Valerius Poplicola sibi conlegam adsciuit: simúlque cum ipso primus Consulum triumphauit, Lustrúmque fecit anno ab vrb. cond. CCXLV. Nono inde anno post reges exactos, quum gener Tarquinij iniuriam soceri vindicaturus, ingentem collegisset exercitum, populósque finitimos aduersus Romanos concitasset, nouus Romæ magistratus creatus est, isque Dictator appellatus: cuius potestas atq; auctoritas etiam supra ipsos Consules esset, & a quo prouocatio ad Populum non esset. Primus autem Dictator creatus est T. Lartius Flauus anno ab vrb. cond. CCLII: isque sibi Magistrum Equitum Sp. Cassium Viscellinum dixit. Post hæc quum propter nobilium & potentium acerbitatẽ & sæuitiam, qui pbebeios magno ære alieno & fœnore sibi obstrictos in vinculis detinebant, atrocissimæ inter patricios & plebem exortæ essent seditiones, ita vt plebs armata maximo cum terrore nobilium trans Anienem in montem, qui Sacer dicebatur, secederet: non prius inde abduci potuit, quàm ad sui tutelam Tribuni plebis crearentur. Quos anno insequenti CCLX tanquam peculiarem sibi magistratum Populus Ro. e plebe creauit, per quos contra Senatus & nobilium potẽtiam deinceps tutus esse posset. Creatique sunt primùm duo C. Licinius & L. Albinus. Hi tres alios conlegas sibi adsciuerunt, in quibus Sicinius præcipuus seditionis auctor fuisse traditur: qui reliqui fuerint haud satis conuenit. Anno ab his trigesimo septimo, qui fuit vrbis conditæ CCXCVI, Tribuni Plebis decem creati sunt, bini videlicet ex singulis classibus, cautúmque vt sic postea crearentur. Mox a consulibus ad Decemuiros res venit. Anno enim trecentesimo altero, imperium consulare cessauit, & pro Consulibus, legum ferendarum caussa, decem facti sunt apud quos summa potestas esset, qualis hactenus apud Consules fuerat, isque Decemuiri appellati sunt. Qui quum anno vno atque item altero modestè eum magistratum gessisse visi essent, tertio tandem anno ob App. Claudij vnius Decemuirorum atrocissimique ingenij hominis facinus, qui Virginiam T. Virginij viri plebeij filiam, mota quæstione status in seruitutem asserere voluerat, vt ei postea stuprum inferret, occisa a Virginio patre filia, quò eam ab Appij violentia & stupri dedecore vendicaret, altera plebis secessione in montem Auentinum facta, Decemuiri magistratu se abdicare coacti sunt. Ita sublata Decemuirali potestate, eodem anno CCCIIII. summa rerum ad Consules redijt, & plebs quæ in Auentinum secesserat, postquam Tribunos Plebis sibi reddi postulasset, domum redijt. Nec multò pòst Tribunis plebis (potissimùm autem Canuleio) legem promulgantibus, vt Consulum alter e plebe crearetur, refragantibus patribus, noua iterum seditio exorta est: neque priùs plebs placari potuit, quàm inter cæteras pacificationis conditiones a patribus obtinuisset, vt sicut plebeij hactenus, ita & militares Tribuni crearẽtur, ijque sex; tres e plebe, totidem e Patricijs. Itaq; anno CCCVIIII. Ttibuni militum Consulari potestate primùm creati sunt, A. Sempronius Atratinus, T. Cloelius Siculus, L. Atilius Longus: atque hi tres tantùm & ex patricijs. Eo enim plebs primùm contenta fuit, quòd sui ratio in comitijs habita fuisset. Hi tamen, quòd vitio facti essent, haud multò pòst abdicarunt: factique in locum ipsorum iterum Consules duo L. Papirius Mugillanus, L. Sempronius Atratinus, idque non sine contentione inter plebem & patres; his quidem Consules, illa verò alios Tribunos militum poscentibus: sed vicêre tandem patres. Anno insequenti, qui fuit vrbis cõditæ CCCX. Censores primùm creati sunt: hac potissimùm occasione, quòd quum Populus diu incensus permansisset, neque propter bellorum ingruentium onera & impensas, Census commodè diutius differri posset, neque iterum Consules rebus foris gerendis intenti huic muneri vacare possent, placuit huic functioni, quæ aliquanto plus operæ quàm dignitatis habere videretur, peculiarem magistratum deputare, cui scribarum ministerium, Tabularum cura & custodia, formulæque censendi committerentur. Primi itaque Censores hoc anno facti L. Papirius Mugillanus, L. Sempronius Atratinus,

DICTATOR PRIMVS.

SECESSIO PLEBIS IN MONTEM SACRVM.

TRIBVNI PLEBIS PRIMI.

DECEMVIRI LEGVM FERENDARVM CAVSSA.

SECESSIO PLEBIS IN AVENTINVM.

TRIBVNI MILITVM.

CENSORES PRIMI.

tinus, ijdem qui anno superiori, postquam Tribuni abdicassent, per reliquum anni tempus Consules fuêre, ijque Lustrum condiderunt. Quincto ab hoc anno, qui fuit trecentesimus quartus decimus, nouus ortus est tumultus propter Sp. Melium equestris ordinis virum: qui in summa annonæ caritate frumentum sua pecunia mercatus, id populo distribuerat: vnde gratiosus apud plebem factus & elatior, de regno cogitasse creditus a C. Seruilio Ahala magistro equitum, approbante factum L. Quinctio Cincinnato (qui Dictator regni opprimendi & seditionis sedandæ caussa creatus fuerat) securi percussus fuerat. Hinc Plebs commota, iterum per Tribunos plebis Tribunos Militum pro Consulibus flagitare institit: maximaque Tribunorum contentione effectum vt anno sequẽti CCCXV suffragijs populi tres iterum Tribuni militum Consulari potestate crearentur. Hi fuêre M. Aimilius Mamercinus, L. Quinctius Cincinnatus eius qui proximè Dictator fuerat filius, & L. Iulius Vopiscus. Anno insequenti sedatioribus iam plebeiorum animis iterum ad Consules reditum: creatique M. Geganius Macerinus III, L. Sergius Fidenas. Nullaque plebis indignatione aut dissensione per tres annos insequentes comitia Consularia fuêre: donec anno CCCXX Tribunis plebem per assiduas conciones concitantibus & comitia Consularia impedientibus, res tantum non ad Interregnum perducta est. Nec prius destitêre Tribuni plebis, quàm Tribuni militum iam tertio crearentur: factique rursus tres, ijque patricij: Nec facta anno insequenti vlla Consularium comitiorum mentione, alij iterum tres Tribuni militum creati sunt. Cæterùm anno proximè insequuto, qui fuit CCCXXII nuntiato tumultu ab Aequis & Volscis, rursum Consules creati sunt, T. Quinctius Pennus Cincinnatus, C. Iulius Mento. Sicuti & per quatuor annos proximos summa rerum penes Consules fuit. Quincto verò post anno, qui fuit CCCXXVIII rursus Tribuni militum facti, vti & duobus qui proximè insequuti sunt annis. Ab illo tempore per plures annos subinde variatum: ita vt nunc Consules, interdum Tribuni militum crearentur, prout vel Patrum auctoritas, vel Plebis insolentia & peruicax Tribunorum contentio præualebant, vsque ad annum CCCXLV, a quo ad annum vsque CCCXCVII ferè apud Tribunos militum summa in Republica potestas fuit: ijque diuersimodè nunc tres nunc quatuor, postea sex simul creati sunt: Totoque eo tempore quod medium fuit duobus tantùm annis Consules fuêre, anno videlicet CCCLX cum insequenti. Anno ab vrbe condita CCCLXII Roma a Gallis Senonibus obsessa est; eadémque anno insequenti fusis ad Alliam flumen Romanis capta, Capitolio tamen, in quod se robustissimi quique atque ætate minus prouecti receperant, seruato. In quod quum Galli nocturnas excubias fallentes per auersam collis partem euasissent, anserum clangore proditi, potissimúmque opera M. Manlij (qui a Capitolio seruato postea Capitolinus dictus est) deiecti sunt. Coactis deinde Romanis propter fame despondere, vt mille auri talenta darent, eoque pretio obsidionem redimerent, Furius Camillus, qui id temporis Ardeæ exulabat, Dictator absens creatus, dum aurum appenderetur, cum exercitu inprouisis superueniens, Gallos septimo quo Capitolium obsidere cœperant mense vrbe expulit cecidítque. Annus qui hunc insequutus est CCCLXIIII, sine Consulibus & Tribunis militum fuit, Camillo ad preces Senatus Populiq; Romani Dictaturam continuante. Anno deinde ab vrb. cond. CCCLXVII. nouæ rursus turbæ nouique motus extitêre. C. enim Licinius Caluus siue Stolo & L. Sextius Tribuni plebis legem promulgarunt, qua Tribunorum militum comitia tollerentur, vt in locum eorum rursum Consules crearentur, altérq; eorum e plebe. Quam legem, quum per conlegarum, qui in hoc a Senatu comparati fuerant, intercessionem perferre prohiberẽtur, Licinius vicissim & Sextius reliquorũ magistratuum Curulium comitia intercessione tollentes, solos Aediles & Tribunos plebis creari passi sunt: factique Tribuni plebis anno CCCLXXVIII ipse C. Licinius Caluus & L. Sextius sine alio Curuli magistratu: durauítque ea Magistratuum solitudo quinquennium, summa

TRIBVNI MILITVM ITERVM CREATI

ROMA CAPTA.

Universidad de Deusto
Biblioteca

rerum interim apud eosdem illos Tribunos plebis remanente, subiatísque pertinaci & perpetua Tribunorum intercessione reliquorum magistratuum comitijs; donec tandem anno CCCXXCII Tribunis intercessionem remittentibus, habitísque ab Interrege comitijs, rursus Tribuni militum facti sunt. Anno CCCXXCV cùm propter leges a Licinio & Sextio promulgatas nouus exortus esset tumultus, ita vt res tantum non ad manus veniret, & ne conlegarum quidem interceſſio proficeret, quin leges perferrentur, Patres trepidi Dictatorem crearunt M. Furium Camillum IIII: qui postquam abdicasset, in eius locum factus est, P. Manlius Capitolinus, isque Magistrum equitum sibi adsciuit C. Licinium Caluum primum e Plebe: ita hic annus præter duos Dictatores & Magistros equitum sine alio Magistratu fuit. Anno insequenti CCCXXCVI rursus Tribuni militum creati sunt. Anno deinde proximo perlatis legibus Tribunicijs, cedenteque Tribunorum violentiæ tam summo ipsius Dictatoris imperio quàm Senatus auctoritate, habitis comitijs Consularibus, Consulum alter e Plebe & primus creatus est Q. Sextius, qui ante Tribunus plebis legem cum Licinio conlega promulgarat. Cui rei Patres vti auctores fierent solo seceſſionis metu (eô enim iam res spectare videbatur) adacti sunt, adlaborante potissimùm in id propter componenda Plebis & Patrum dissidia, M. Camillo Dictatore. Sed Plebs pro Consule Plebeio sibi tandem a nobilitate permisso, Patribus vicissim duos nouos magistratus concessit, qui e patricijs tantum crearentur, Prætura scilicet & Aedilitatem Curulem. Ita hoc anno primus prætor creatus Sp. Furius Camillus M. F, qui ius in vrbe diceret. Item Aediles Curules duo Cn. Quinctius Capitolinus. P. Cornelius Scipio. Anno deinde CCCXCVII C. Marcius Rutilus primus e Plebe Dictator a M. Popillio Cos. dictus est, qui inuicem Magistrum Equitum sibi e Plebe legit C. Plautium. Anno ab vrbe condita CDXXVII bello Samnitico, cùm Publilius Philo Cos. Palæpolim Græcorum oppidum obsideret, obsidioneque etiamnum durante tempus Comitiorum incidisset, ne Consule ab obsidione ad Comitia reuocato, imperioque abrogato, quo minus Palæpolim caperet impediretur, placuit Senatui & populo, vt Philo tametsi Consulatu abijsset, prorogato tamen imperio Consulari, dum cùm Palæpolitanis debellatum esset, pro Consule rem gereret: ita primus Proconsul tum factus est. Anno CDXXIX implicitis etiamnum bello Samnitico Romanis, ita vt Comitia haberi commodè non possent, L. Papirius Cursor, qui anno præcedenti a L. Camillo Cos. graui morbo apud Samnites impedito Dictator dictus fuerat, Dictaturam cum Magistro Equitum sine Consulibus continuauit: ita & hic annus absque Consulibus fuit. Quod & anno CDXLIIII, item & CDLII accidisse Tabulæ Capitolinæ testantur. Priori enim idem hic Papirius Cursor sine Consulibus Dictaturam iterum gessit, adscito sibi Magistro Equitum Q. Iunio Bubulco Bruto. Posteriori, duo Dictatores fuêre cum suis Magistris Equitum: prior M. Fabius Maximus Rullianus, alter M. Valerius Coruus. Sequenti anno conlegio Augurum, qui quaterni hactenus fuerant, quinque alij sunt additi. Anno CDLXV Triumuiros Capitales primùm creatos tradit Florus. Anno CDLXVII Plebe nimio ære alieno prægrauata, aliæ rursus eæque grauissimæ extitêre seditiones: ita vt Plebs in Ianiculum tandem seceſſerit: fuítque hæc tertia seceſſio. Sed inde a Q. Hortensio Dictatore Plebs mox deducta est, lata lege, vt quidquid ipsa iussisset, eo reliqui Quirites tenerentur. Anno CDLXXI C. Fabricio. Q. Aimilio Coss. Bellum Tarentinum cum Pyrrho rege grauissimum exarsit. Pyrrhum enim Epyri regem vt sibi suppetias contra Romanos ferret, Græcia exciuerant Tarentini. Anno deinde CDXXCIV C. Fabio Pictore Q. Ogulnio Gallo Coss. primus nummus argenteus Romæ procusus est. Anno ab hoc quinto Ap. Claudio, M. Fuluio Coss. Bellum Punicum exortum est. Anno DX duo Prætores primùm creati sunt; vnus qui ius in vrbe diceret, alter qui cum C. Lutatio Consule bellum foris ad-

MAGISTER EQVITVM E PLEBE.

CONSVLVM ALTER E PLEBE.

PRAETOR PRIMVS.

AEDILES CVRVLES PRIMI.

DICTATOR E PLEBE.

PROCONSVL PRIMVS.

CONLEGIVM AVGVRVM.

SECESSIO IN IANICVLVM.

PRIMVM ARGENTVM SIGNATVN.

BELLVM PVNICVM

foris administrarent. Anno DXXVI, Sicilia & Sardinia in potestatem Pop. Ro. redactis, duo Prætores, superioribus additi sunt, qui in nouas prouincias Siciliam & Sardiniam mitterentur. Anno DXLVI C. Claudio Nerone, M. Liuio Salinatore Coss. Populus Ro. primùm aureum nummum signauit. Anno DLVI Hispania in citeriorem & vlteriorem diuisa est, factæque duæ prouinciæ, & duo noui Prætores in eas missi. ita sex Prætores tum creari cœpti. Anno DXXCI vterque Consul e plebe creatus, C. Popillius Lænas, P. Ailius Ligus: quod vt ita fieri posset multo ante cautum erat, lata lege anno CDXI, quæ debebatur vti liceret ambos Consules e plebe creare. Nec temere post id tempus accidit, vt duo Patricij simul Consules essent, sed aut vterque Plebeius, aut vnus Patricius, Plebeius alter. Anno DC. Consules magistratum kalend. Ianuarijs inire cœperunt: isque dies postea Consulatui ineundo solennis fuit. Prius enim vel Idibus Martijs, vel alijs anni temporibus inire solebant. Anno DCXXII Censor vterque primùm e plebe creatus Q. Cæcilius Metellus, Q. Pompeius. Anno DCLXIX L. Cornelio Cinna altero Consulum, postquam orta inter exercitum cui præcrat seditione abdicasset, a militibus interemto, Cn. Papirius Carbo conlega solus nullo in locum interfecti subrogato in reliquum anni tempus Consulatum gessit. Anno DCLXXI cùm Marianarum Syllanarúmque partium odijs & factionibus vniuersa pridem infestaretur Italia, omniaque latè tam in vrbe ipsa quàm extra cædibus fœdoque luctu complerentur, cæsis inter cæteros vtroque Consule, C. quidem Mario Preneste, Cn. verò Carbone in Sicilia, res ad Interregnum redijt: creatúsque Interrex comitiorum caussa C. Valerius Flaccus, tum fortè Princeps Senatus, ex ipsius L. Sullæ sententia legem ad populum tulit, videri e Republica Sullam Dictatorem dici; cuius potestas, non quidem certo tempore, vti hactenus consueuerat, finiretur; sed tantisper duraret, dum ille Rempublicam ac vniuersam Italiam armis odijsque ciuilibus turbatam deformatámque constituisset. Ita L. Sulla post annos CXX primus Dictator factus est; isque Magistrum equitum sibi dixit M. Valerium interregem: prætérque morem & exemplum XXIIII Lictores cum fascibus, tum & alios ad corporis custodiam sibi adhibuit, Felicémque se deinceps cognominari voluit. Et adiectis priori numero Prætorum alijs duobus, octo constituit, auctoque simul publicarum perpetuarúmque quæstionum numero, instituit vt & de falso, de periurijs, de sicarijs, deque iniurijs quæreretur. Anno DCXXCV mortuo ipso magistratus initio Cæcilio Metello Consule antequam iniret, nulloque in defuncti locum suffecto Q. Marcius Rex solus magistratum continuauit. Anno DCCI quum propter fœdissimas impotentissimásque competitorum contentiones, immo violentas nec sine armis concertationes, Respublica primis aliquot anni mensibus, tam sine Consulibus quàm alio magistratu fuisset, factum ex sententia M. Bibuli Senatusconsultum, vt Cn. Pompeius a Ser. Sulpicio interrege solus Cos. crearetur: is itaque hoc anno primus sine conlega Consul dictatoria potestate creatus est. Cúmque sub Kalendas Martias inijsset, ad inuidiam vitandam Q. Cæcilium Metellum sub Kalendas Sextiles in quinque postremos anni menses conlegam sibi adsciuit. Anno DCCV victo profligatoque ad Pharsalum in Thessalia armis ciuilibus Cn. Pompeio, C. Iulio Cæsari Dictatura annua cum Tribunicia potestate perpetua & Consulátu quinquennali a Populo delata est. Anno ab hoc secundo, qui fuit DCCVII, idem Cæsar Africa recepta, Dictator in decennium creatus est, simúlque Præfectus moribus Censoria potestate in triennium. Eodémque anno, Prætores decem creauit, & Censum vicatim sine conlega egit, sed lustrum non fecit. Anno insequenti DCCVIII Cæsar Cos. creatus sine conlega, retento dictaturæ honore, coq; contétus Consulatu se abdicauit, substitutis in locum suum Q. Fabio Maximo, C. Trebonio Aspero, & ex hoc primùm tempore

mm. ij. Consules

PRAETORES DVO.

PRAETORES IIII. AVRVM PRIMVM SIGNATVM.

PRAETORES VI.

CENSORES E PLEBE.

SVLLAE DICTATVRA

PRAETORES VIII.

CONSVL SINE CONLEGA.

DICTATVRA ANNVA.

DICTATVRA DECENNALIS.

PRAETORES X.

Universidad de Deusto
Biblioteca

HONORARII CONSVLES. PRAETORES XIIII. DICTAT. PERP. PRAETORES XVI.

Consules suffecti siue honorarij in certos anni menses creari cœpti. Eodem anno Cæsar XIIII Prætores creauit: Et post Hispaniam a Pompeij liberis receptam, confectis iam omnibus bellis ciuilibus, PARENS PATRIAE & Dictator perpetuus appellatus atque Imperator prænominatus est. Anno ab hoc proximo Prætores XVI Cæsar creari instituit: Et præter quattuor Aediles hactenus creari solitos, e quibus duo Plebis, totidem Curules dicebantur, insuper alios duos creauit, quos, quòd annonæ & rei frumentariæ præessent, Ceriales vocauit: hosque e Patribus creari instituit, nam reliqui quattuor Plebeij erant. Occiso autem eodem anno a Bruto & Cassio cum coniuratorũ manu Cæsare, anno insequenti DCCX, M. Aemilius Lepidus, M. Antonius & C. Cæsar Octauianus (qui a Cæsare adoptatus fuerat,) inita societate Rempublicam occuparunt: seque ipsos Triumuiros Reipublicæ Constituendæ Consulari potestate & cum summo imperio in quinquennium renuntiarunt. Quo finito anno DCCXVI, in alterum quinquennium se iterum Triumuiros pari potestate crearunt. Sed anno insequenti M. Lepidus a Cæsare conlega coactus Triumuiratum abdicauit. Interim ob grauissimas inter Caesarem & Antonium simultates, orto inter ipsos bello ciuili, victoq; anno DCCXXII, & prosligato tandem ad Actium cum Cleopatra Aegypti Regina M. Antonio, atque ita sublato imperij consorte, summa Reipublicæ ad Cæsarem Octauianum deuoluta est. Anno ab hoc secundo DCCXXIIII, vti prius Iulius Præfectus moribus, ita & Cæsar Octauianus Rector morum legúmque in locum Censorum creatus est: eàque potestate accepta sine Censuræ honore Censum Pop. Ro. ter egit. Eodémque anno PATER PATRIAE appellatus est. Anno proximè insequuto Cæsar potestatem Reipublicæ constituendæ in decennium a Senatu Populoq; Ro. accepit. Anno verò DCCXXX. Dictator perpetuus a Populo appellatus, odiosum & semel e Republ. sublatum magistratum & quasi cum patre consepultum admittere noluit, Tribunicia interim potestate, quæ simul deferebatur, accepta: qua honoris prærogatiua summa rerum deinceps penes vnũ Cæsarem fuit. Nam præterquam quod inuiolabilis esset, & tam dicto quam facto læsus etiam indicta caussa pœnas pro arbitrio repetere posset, aliorum quoque magistratuum acta, si minus probarentur, rescindere & abrogare poterat: ita vt reliqui posthac magistratus non tam re quam nomine tenus gererentur. Anno tamen ab hīc quinto DCCXXXV, vt Tribuniciam, ita & Reipublicæ constituendæ potestatem M. Vipsanio Agrippæ genero suo communicauit, vtiq; & ipsi a populo deferretur auctor fuit, iam tum imperio successorem hoc ipso designans. Quo mortuo Tiberium quoque Claudium Neronem, priuignum, generum simul & filium adoptiuum, eiusdem honoris & potestatis socium, pariter & imperij successorem delegit. His itaque initijs imperium Populi Ro. singulare per Cæsarem dictatorem primúm inchoatum, deinde varijs artibus & rationibus per Augustum confirmatum & stabilitum, tantis postea successibus progressibúsque in eam magnitudinis molem coaluit, in qua per plura annorum sæcula, inter omnia alia longè maximum florentissimúmque perdurauit.

TRIVMVIRATVS LEPIDI, ANTONII ET CAESARIS

CAESARIS AVGVSTI IMPERIVM.

TRIBVNICIA POTESTAS AVGVSTO CONCESSA.

IN ALIQVOT FASTORVM LOCOS ANIMADVERSIONES.

AN. AB VRB. COND. DXXCIIII.

HOC ANNO Carolus Sigonius Q. Fabium Pictorem L. Quinctium Gulonem Coss. locauit: quem & Onuphrius prius sequutus fuerat, sed mutata postea sententia pro Quinctio Gulone Q. Ogulnium Gallum, pro Q. Fabio C. Fabium substituit: quòd & Pighio nostro placuit. Cui sententiæ quum tam Fasti Græci quàm Zonaras & emendatiora antiquioraque Eutropij exemplaria adstipulentur, & nos illam haud inuiti amplexi sumus, maximè quum & nummi antiqui hîc nobis suffragentur. Interim & hoc hîc obseruandum, sæpe in antiquissimis nummis pro g. littera c. scribi: vti hîc in Ogulnij nummo OCVL. CAL. pro OGVL. GAL. Quod & in alijs quibusdam qui in Fastis nostris post hunc annum spectatur nummis factitatum, in quibus CVLO, CALBA, CVRGES, CLICIA, CLABRIO & similia legimus, pro Gulo, Galba, Gurges, Glicia, Glabrio.

CDXXCV. Sempronij qui hoc anno Cos. fuit cognomen in antiquis numismatibus sine adspiratione scribitur SOPVS. Quod nec ipsum in antiquissimis nummis infrequens est. Legimus enim & in alijs PILIPPVS, TAMPILVS, GRACCVS, PVLCER, TRIVMPVS pro Philippus, Tamphilus, Gracchus, Pulcher, Triumphus, & similia.

CDXCV. In prænomine Sulpicij Paterculi, qui hoc anno Cos. fuit, ipsæ inter se Tabulæ Capitolinæ discrepant, illæ scilicet in quibus Triumphi adnotati sunt a Tabulis Consulatuum & reliquorum magistratuum. In his enim Quinctus, in illis Caius vocatur. Hinc haud immerito videri posset, non eundem fuisse auctorem tabularum Triumphalium & Consularium. Cui rei præter alia & hoc argumento esse potest, quòd Augustus in tabulis magistratuum sæpissimè & ferè semper, IMP. CAESAR DIVI F. C. N. scribitur, in Triumphis verò non semel IMP. CAESAR DIVI F. C. F. Sed nos Sulpicio hîc Caij nomen præposuimus, idque eo libentius, quod nummus quo Sulpicij Triumphus exprimitur Caium nominat: Quod & Sigonio & Marliano magis placuisse video.

CDXCVI. Cuspinianus ratus Blasionem alterum Coss. istius anni eundẽ esse qui prius anno CDXXCIII. Consul fuerat, scilicet Lucij filium, adscripsit secundùm Consulem fuisse: quem & alij quicumque hactenus Fastos digesserunt in hoc sequuntur. Sed quum præter Cuspinianum, quod sciam, id alius nemo tradat, sitque penes M. Laurinum nummus antiquissimus Cn. Blasionis Cnæi filij, eius, vti verisimile est, qui anno iam proximè dicto Consul fuit, adscripsimus hunc Cn. filium L. nepotem fuisse, non addito. II.

DXXXII. Quia ex nummo antiquo, qui infra pag. 106. expressus est ad Dictaturam Q. Fabij Maximi constat M. Minucium Rufum ipsius Magistrum Equitum Publij filium Quincti Nepotem fuisse ideo hic adscripsimus P. F. Q. N.

DXXXVII. C. Terentij Varronis Cos. istius anni patrem fuisse Aulum inuenio in antiquo nummo qui hic adpictus est: Quare A. filium fuisse in tabella adnotauimus, ab alijs præteritum.

DLVIII. M. quoque Heluij Blasionis, qui hoc anno Pro pr. triumphauit, patris nomen, scilicet Publij, ex antiquo nummo adscriptum est.

DLXIIII. Tabulæ Capitolinæ & qui has sequuti sunt, duos tantum L. Aemilij Paulli Triumphos agnoscunt: priorem, qui anno DLXXII actus est de Liguribus, alterum, qui de rege Perse ex Macedonia. Solus Onuphrius tertium triumphum inseruit, eúmque primum e tribus hoc anno ab Aemilio actum scribit ex Hispania Vlteriore: atque id quum ex Velleio Paterculo, tum auctoritatem sequutus inscriptionis Capitolinæ vetustissimæ, & nummi argentei perantiqui, quem postea Paullus Lepidus in honorem Aemilij Paulli signari curauit. Quorum quidem auctoritas, vti publicorũ monimentorum, cùm apud me non leuioris sit momenti, quàm ipsarum Tabularum Capitolinarum, non potui non hac in parte Onuphrij sententiam amplecti, eundémque primum Aemilij Triumphum hic inserere. Verba autem Paterculi sunt hæc. Tum [*scilicet quum Po. Ro. bellum cum Perse rege Macedonum gereret.*] Senatus Populúsque Ro. L. Aemilium Paullum, qui & Prætor & Consul triumphauerat, Consulem creauit. [*scilicet II, nam & ante anno DLXXI Consul fuerat*] Is Perseum ingenti prælio apud vrbem Pydnam in Macedonia Fusum fugatúmque castris exuit: deletúsque eius copijs destitutum omni spe, coëgit e Macedonia profugere, quam ille relinquens in insulam Samothraciam profugit, templique se religioni supplicem credidit: ad eum Cn. Octauius Pr. qui classi præerat peruenit, & ratione magis quàm vi persuasit, vt se Romanorum fidei committeret. Ita Paullus maximum nobilissimúmque regem in triumpho duxit. Inscriptio autem antiqua ne & illa hic desideretur sic habet. L. AEMILIVS L. F. PAVLLVS COS. II. CENSOR AVGVR TRIVMPHAVIT TER. Nummus verò infra pag. 134. ad Censuram eiusdem L. Aemilij Paulli affixus cernitur.

Universidad de Deusto
Biblioteca

DLXI. Quando A. Terentium Varronem, qui hoc anno Propr. triumphauit, certum est filium fuisse C. Varronis, qui anno DXXXVII consul fuit, cuius patrem fuisse Aulum ib[illegible] nummo antiquo ostendimus, hinc nobis hîc additum hunc Aulum Auli Nepotem fuisse.

DXXCI. C. Cicereium qui hoc anno Propr. triumphauit, ex antiquo nummo intelligo Titi filium [illegible] item nepotem fuisse, quare patris & aui nomen ab alijs omissum hîc a nobis restitutum est.

DCXVII. Nomen patris P. Furij Phili Cos. scilicet Cn. ex nummo antiquo similiter adscriptum est.

DCXXXI. Hic C. Sextij triumphus cum octo insequentibus ad verbum transcriptus est ex antiquo fragmento marmoreo triumphorũ, haud ita nuper (anno videlicet a Chr. Nat. M DLXIII) Romæ inter rudera effosso, quod eodem statim anno ad nos Roma transmisit humanissim[illegible] eruditissimúsque Nicolaus Florentius Batauus, cuius opera & studium quum hoc in instituto tum alijs in rebus magno nobis fuit vsui. Fragmentum ipsum in fine Fastorum nostrorum addi curauimus ea prorsus forma atque ordine quo exemplar Roma ad nos missum descriptum fuerat. Ab hoc fragmento multùm variant triumphi quos alij hactenus hoc loco prodiderunt: dum quosdam ex his omittunt, rursus alios supponunt, & reliquorum ordinem inuertunt, vti ex collatione ipsorum cum hoc fragmento cuilibet constare poterit.

DCXXXVI. Error eorũ qui hactenus ante nos Fastos digesserũt nos quoq; in similem erroré pertraxit, dum hos L. Cæcilij Metelli & Q. Marci triumphos ex fragmento antiquo in hos nostros Fastos transcriberemus, qui dictos triumphos huius anni consulibus subiecerunt, vt anno proximè sequenti reponendos, vti ex fragmento manifestum est, prodente tam Cæcilium Metellum quàm Marcium Proconsules triumphasse & non Consules. Cæcilijque triumphum præponit triumpho Q. Marcij.

DCXXXVII. Nomen patris C. Licinij Getæ Cos. hactenus obscurum ex nummo antiquo repositum est, in quo C. Licinium Getam Publij filium fuisse diserté perscriptum est.

DCXLIIII. Iunium quoque Silanum Cos. patrem habuisse Lucium nummus antiquus testatur.

DCXLV. L. Hortensius qui hoc anno Cos. designatus, antequã iniret damnatus fuerat, Lucij filium fuisse ex nummo antiquo didici: qui nummus, vti credere est, dum ille alio aliquo magistratu fungeretur, forsan Aedilitate, Quæstura, aut Prætura procusus fuerat.

DCXLVIII. Cn. Manlij cos. patrem fuisse Cnæum in nummo antiquo inuenio.

DCXLIX. C. Flauij Fimbriæ Cos. patris nomen ex nummo antiquo repositum est, scilicet Titi.

D[illegible] M. Antonium, qui hoc anno Prætor triumphauit, & anno DCLIIII. consulatum gessit, Caij filium fuisse numismata antiqua declarant.

DCLIII. D. Iunium Silanum, qui hoc anno Propr. triumphauit Lucij filium fuisse nummus antiquus arguit.

DCLX. Nomen patris M. Herennij Cos. Caius, ex nummo similiter antiquo reposuimus.

DCLXXIII. Publium Lucium patrem fuisse Lucij Licinij, qui hoc anno Propr. triumphauit nummus etiam antiquus nos docet.

DCXXCIV. Quia, vt supra diximus, ex nummo antiquo inuenio Lucium Hortensium patrem Quincti Hortensij Cos. istius anni, filium itidem fuisse Lucij, proinde aui nomen hîc a nobis additum est. L. N.

EODEM. M. Pisoni, qui hoc anno Procos. triumphauit, cognomen FRVGI adscripsimus ex duobus nummis antiquis, quorum vnus hîc expressus est, alter ad Consulatum ipsius anni CDXCII.

DCXXCVII, L. Volcatium Tullum Quincti filium fuisse prodit nummus antiquus.

DCXC. Quod superius M. Antonium Caij filium fuisse diximus, ideo & hîc C. Antonio M. filio Cos. aui nomen Caij adscripsimus.

DCXCI. M. Iunium Silanum Cos. anni DCLXIIII patrem D. Silani qui hoc anno consul fuit filium fuisse L. Silani suprà ostendimus, hinc & aui nomen hîc subiunximus.

DCXCIIII. M. Calpurnius Bibulus patrem habuit Lucium, vt in nummo videre licet.

DCXCIX. Ex nummo antiquo constat C. Postumium qui hoc anno Propr. triumphauit, Auli filium fuisse.

DCC. M. Valerius Messalla Cos. Caij filius fuit, vti ex nummis antiquis liquet.

DCCV. Ex Dione hîc addidimus Cæsarem post victum in Pharsalia Pompeium, Tribuniciam potestatem in perpetuũ cum annua Dictatura accepisse: victum autem a Cæsare Pompeium XIII Kal. Sextil. in nostris ad hunc Fastorum locum commentationibus quas cum Iulio nostro edidimus quum ex Kalendario antiquo, tum ex varijs auctorum locis inter se collatis ostendimus.

Dictatura secunda Cæsaris. Secundam autem Cæsaris Dictaturam hoc anno constituimus, quam tabulæ Capitolinæ in annum sequentem reijciunt, annum cum ipsa, vti videtur, Dictatura inchoantes constituentésque idem anni & Dictaturæ initium, ducta scilicet linea inter secundum Cæsaris Consulatum & hanc Dictaturam, quod & alij qui Fastos Capitolinos postea supplerunt vel commentati sunt, sequuntur. Sed nos auctores probatę fidei, Dionem imprimis sequuti, maluimus secũdam dictaturã collocare sub hoc anno DCCV, tanquam iam tum decretam & geri cœptam: ita tamen vt cum ea annua fuerit, non negem pro maiori parte gestam anno sequenti, scilicet DCCVI. In hanc sententiam me pertraxêre, primùm

primùm ipsa Dionis verba, qui scribit Populum Romanum audita Pompeij morte, statim inter ceteros honores annuam ipsi Dictaturã decreuisse, eamque Cæsarem statim iniisse, etiamnum extra Italiam existentem. Tum id quod Plutarchus in Antonio tradit: Cæsarem post Pharsalicam pugnã Dictatorem fuisse factum. Ceterùm idem Plutarchus in eo quod de M. Antonio subijcit hallucinari videtur. Addit enim, quum Cæsar Pompeium persequi instituisset, Antonium a Cæsare cum Tribunatu in vrbem remissum fuisse, eamque potestatem si præsens sit Dictaror, secundam esse: si absens, primam ac fermè solam: hæc enim de potestate Magistri equitum potiùs intelligenda videntur. Nam Cæsarem in secunda sua dict[illegible]ra Magistrum equitum habuisse Antonium constat. Et Cicero ipse Philipp. II. auctor est, M. Antonium Cæsare ignaro quum ille Alexandriæ esset, beneficio auunculi Magistrum equitum esse constitutum. Hinc Dion tradit, quum ipso anni sequentis initio omnium ferè Magistratuum in vrbe solitudo esset, & proinde omnia plena tumultu, M. Antonium Magistrum equitum cum veste purpurea & sex lictoribus in publicum prõgressum & comitijs interfuisse. Superioribus accedit, quod Dion scribit, Cæsarem quum de Ptolomæi & Cleopatræ caussa cognosceret, quod fuit primo statim ad Alexandriam accessu, Dictaturam gessisse. Alexandriam autem peruenisse traditur triduo post interfectum Pompeium, ipsis scilicet primis mensis Octobris diebus. Nam Pompeium quidam pridie, alij postridie eius diei cæsum prodidêre, quo de Mithridate olim triumpharat, qui fuit pridie Kal. Octob. Cæsarem autem tam maturè secundam hanc Dictaturam inijsse nõ exspectatis Kal. Ianuarijs, minùs mirum videbitur, si cõsideremus Dictatorem quouis anni tempore creari solitum, eúmque Magistratum vtpote extraordinarium non xalendis Ianuarijs, aut alio aliquo certo & stato die aut tempore, vt Cõsulatus & alios plerosque Magistratus, iniri solitum, sed quandocunque res hoc exigeret, aut ex vsu Reipub. videretur. Vti autem dies ipse quo Cæsar hãc Dictaturam inijt incertus est, ita sub Idus Nouemb. inijsse probabile, intercedentibus scilicet a primo eius ad Alexandriam appulsu ad Id. Nouem. quadraginta diebus, quod tempus sufficere potuisse videtur, cursui & recursui Alexandria Romam, & rursus Roma Alexandriam conficiundo, nuntijsque vltro citróque perferendis: maximè quando in tanto negotio cessatum haud sit verisimile, sed omnia quammaxima celeritate hinc inde constituta, & vltro citróque perlata.

DCCVI. In aliorum Fastis hic annus adscribitur secundæ Cæsaris Dictaturæ, cuius Dictaturæ initium quum a me in annum præcedentem reiectum sit, annum Cõsulibus adscripsi, vt in superioribus annis factitatum est. quanquam hi Consules serò admodum, & sub exitum ipsius anni creati sunt, post Cæsaris a bello Alexandrino & Pontico in vrbem reditum. Nam quum inter ceteros honores & prærogatiuas qui Cæsari post victoriam Pharsalicam decreti fuerant, etiam ius comitiorum omnium ferè Magistratuum ipsi concessum fuisset, delatis in aduẽtum ipsius comitijs, seriús hi COSS. creati fuêre. Cæsarem autem seriùs ad vrbem redijsse, vel hinc intelligi potest, quod tradit Appianus rebus ad Alexandriam & in Aegypto gerẽdis, haud minus quám nouem menses impendisse: quos si ab eo tempore quo Cæsar Alexandriam appulit (quod fuit initium mensis Octobris) computare incipias, inuenies Cæsarem sub mensem demùm Quintilem bello Alexandrino ceterisque rebus in Aegypto constituendis finem imposuisse. Nunc quum bello Pontico aduersus Pharnacem ceterisque postea rebus, atque ipsi itineri conficiendo plures menses impensos esse certum sit, vix est vt ante mensem Nouembrem Cæsar Romam redire potuerit. Quin & Plutarchus testatur, Pharnace deuicto sub exitum istius anni quo secũdùm Dictator fuit, Romã reuersum. Quòd tamen nõ minùs mensis quàm dies initi consulatus istius anni in incerto sit, locum vacuum relinquentes, hoc solum adscripsimus EMBR. siue Nouember mẽsis ille fuerit, siue December. Hoc autem anno in nũmo qui ad Cõsulatum Q. Caleni expressus est, punctula quædã minuta visuntur litterarũ vestigia referentia, quod quidem studio ita a nobis factum; quòd litteræ ipsæ vsu attritę & cõplanatæ dilucidè a nobis legi nõ poterant. Quare quũ nõ videretur esse fidei nostrę, temere ex eo quod apices litterarũ qui remãserãt referre videbãtur addiuinando falsa pro veris substituere, sat habuimus indicare aliquid in ora nũmi scriptum fuisse, quod hi quibus nũmus magis integer cõtinget facile legẽdo assequẽtur. Ex ipsis autem litterarum vestigijs videbatur prius scriptum fuisse, M. CALPVR. BIBVLVS. Decem Prætores hoc anno designatos ex Dione addidimus, qui tradit Cæsarem post suũ in vrbem reditum, quò pluribus gratiam referret, in insequentem annum decem Prætores designasse: simulque numerum eorum qui sacris præessent, auxisse. Pomponius tamé I. C. cap. II. de origine iuris, auctor est, Sullanis temporibus decem Prætores creatos, adiectis ab ipso Sulla quattuor supra numerũ sex, qui prius creari solebant.

Decem Prætores.

DCCVII. Hic adscripsimus hunc annum quindecim mẽsium fuisse, quod & Suetonius scriptum reliquit. Nam quum Fasti vitio & incuria Pontificum ita corrupti & turbati essent, vt feriæ confusis temporibus in contrarias anni partes caderent, Cæsar eos correxit: annúmque qui hactenus CCCLV tantùm dierum fuerat, ad rationem cursus solaris accommodans, sublato mense intercalari, qui ex antiquo Numæ instituto quarto quoque anno intercalabatur, deinceps trecentis sexaginta quinque diebus constare voluit, additis in singulos annos decem diebus: & pro mense illo intercalari, quarto quoque anno diem vnum intercalari iussit, vbi mensis antea solebat: scilicet

ante

Universidad de Deusto
Biblioteca

ante quinque nouissimos Februarij dies, idque bissextum voluit appellari, quia bis diceretur. vt. Kal. Martias, scilicet XXIIII. & XXV. die mensis Februarij. Et quò ex Kalendis Ianuariis proximis temporum ratio deinceps congrueret, quo anno hæc constituebat, inter Nouembrem & Decembrem duos alios menses interiecit: ita vt quum fortè in eundem annum mẽsis quoq; intercalaris incidisset, hic annus quindecim mensium esset. Et secundùm hęc intelligi debet quod dicit Cicero lib. Famil. VI. in Epistola ad Q. Ligarium. II. vbi scribit se venisse ad Cæsarem ad. II. Kalendas intercalares priores.

Dictatura decennalis. Præfectura morum.

Auctor est Dion, Scipione & Iuba rege debellatis, Africaque subacta, Cæsarem inter ceteros honores Dictatorem in decennium creatum, & Præfectum moribus in triennium, quòd Censoris nomen infra dignitatem eius, & haud satis honorificum videretur. Hinc & Cicero in Epist. alicubi Præfectum moribus eum appellat. Tranquillus etiam inter ceteros honores ipsi concessos Præfecturam morum enumerat.

Dictatura tertia Cæsaris.

Tertiam hanc Dictaturam alij sequenti primùm anno collocant, Fastos Capitolinos in hoc sequuti, qui ducta inter tertium Cæsaris Consulatum & hanc Dictaturam linea, videntur annum istius Dictaturæ initæ ab anno tertij consulatus Cæsaris distinguere: adduntque Dionem, Tranquillum, & ipsum Hircium qui putarit Cæsarem vtrumque Magistratum, Dictaturam & Consulatum, hoc anno tertiùm gessisse, à Fastis dissentire, proinde falli & errare. Sed ego (quod cum pace & saluo ipsorũ honore dixerim) tum alijs rationibus permotus, tum potissimùm antiquorũ numismatũ auctoritate, quã non inferiorem, imò potiorem existimo, quàm sit Fastorum Capitolinorum vel aliorũ, aliter censeo. nimirum Cæsarem tertiam Dictaturam cum tertio Consulatu simul & eodem anno gessisse. Nec proinde labi Dionem aut reliquos suprà scriptos, vtpote qui cum nummis consentiant: licet ipsis cum Capitolinis tabulis minùs conueniat. Et Dion quidem de tertio hoc Consulatu & Dictatura, ipso libri. XLIII. initio sic habet: Sequenti anno Cæsar Dictaturam Consulatúmque tertiò vtrumque Magistratum, conlegaque Lepido gessit. Idem postea eodem libro in oratione quam Cæsar statim post suum ex Africa aduentum, & post Dictaturam decennalem aliósque honores sibi decretos in Senatu habuit, iuducit Cæsarem sic loquentem: Se in omnibus quæ Reipub. caussa agenda forent, Consulem & Dictatorem: in lædendo quopiam priuati loco futurum. Eodem postea libro dicit, Lepidum Magistrum Equitum, Cæsarem bello Hispanico aduersus Pompeij liberos (quod sequenti demùm anno gestum est) intentum, conuocato eius rei gratia populo, Consulem illius anni creasse: quem titulum Magistri Equitum Lepidus anno præcedenti Consul, sibi contra maiorum instituta sumpserat. Et hæc Dion de tertia Cæsaris Dictatura & tertio Consulatu. Suetonij verò de iisdem Magistratib. verba hæc sunt: Tertium & quartum Consulatum titulo tenus gessit, contentus Dictaturæ potestate cum Consulatibus simul decretæ. Hircius autem libro de bello Hispaniensi tradit, Cæsarem Africa recepta, quum expeditionem in Hispanias aduersus Pompeios iuuenes pararet, Dictatorem fuisse tertiùm, designatum. IIII. Receptam autem Africam ipso Cæsare III, & M. Lepido coss. in cõfesso est. Horum sententiæ accedere videtur & Eutropius in epitome, dum ait, Cæsarem Pharnace deuicto Romam regressum tertiùm se Dictatorem & Consulem fecisse cum M. AEmilio Lepido. Ex quibus verbis satis constat, quæ fuerit illorum auctorum, Dionis nimirum, Suetonij, Hircij & Eutropij sententia, Cæsarem videlicet eodem anno, quo tertiùm Consul fuit, simul & tertiam suam Dictaturam gessisse. Quos vti minimè falli crediderim, ita neque eos a vero aberrare puto, qui tradunt Cæsarem tertiam suam Dictaturam anno sequenti cum quarto Consulatu gessisse. Ceterùm si qui in ea sunt opinione, vt putent Cæsarem cum tertio Consulatu statim & tertiam inisse Dictaturam tanquam simul cum Consulatu decretam, (quod Suetonius & Eutropius sensisse videntur) hos non mimùs errare existimo, quàm eos qui putant Cæsarem tertiam Dictaturam quarti ipsius Consulatus anno, qui est DCCVIII proximè sequens, primùm inisse: quæ videtur fuisse Fastorum Capitolinorum sententia, aliorúmque doctissimorum virorum, qui eos hactenus vel supplerunt, vel commentati sunt. Sed ego vt aliter sentirem, præter cetera effecêre numismata aliquot antiqua, e quibus primum quod in Capite IX numismatum Iulianorum primum locum obtinet, ab vno latere habet caput Cereris cum litteris DICT. ITER. COS. TERT. in parte verò auersa, quæ proximè sequitur in eadem tabula, sunt insignia Auguralia Pontificaliaque, & litteræ AVGVR. PONT. MAX. Ex alijs verò vnum est, cuius pars aduersa est inter caput Cæsaris loco XXIX cum his litteris, CAESAR. IMP. QVART. pars verò auersa Capite nono loco XVII nihil præter has litteras cõtinens AVGVR. PONT. MAX. COS. QVART. DICT. QVART. Alterum verò cuius caput siue pars aduersa spectatur inter capita Cæsaris loco XXXIII, cum litteris CAESAR. AVGVR. IMP. QVINT. COS. QVAR. pars auersa Capite nono loco XIII cum Tripode & signis Põtificalib. & litteris DICT. QVAR. PARENS PATRIAE. E quibus nummis primò in quo legitur DICT. ITER. COS. TERT. docemur Cæsarem non quidem simul Dictatorem iterum fuisse, & Consulem tertiùm, quando secunda illa Dictatura, quæ annua fuerat Cæsari post victoriam Pharsalicam decreta, anno præcedenti quo Q. Calenus,

Q. Calenus, P. Vatinius coss. fuerant iam expirauerat. sed tertium Consulatum quem Kal. Ianuar. ex more inierat, aliquandiu gessisse antequã tertiùm Dictator fieret. Quandoquidem tertia Dictatura post victoriam demum Africanam ipsi decreta fuit, idque in decennium: ita vt primis aliquod tertij Consulatus mensibus, non nisi titulum secundæ Dictaturæ, quam anno præcedenti gesserat, vsurpare potuerit. Reliqui duo nummi, in quibus notatur COS. QVAR. DICT. QVART. clarè ostendunt, Cæsarem durante etiamnum quarto Consulatu quartam quoque Dictaturam gessisse: scilicet ab eo tempore, quo tertiæ Dictaturæ annus (qui primus fuit decennalis Dictaturæ Cæsari post victoriam Africanam d[illegible]cretæ) expirauerat: nec proinde potuisse Cæsarem tertiam illam Dictaturam eo anno inisse, quæ incidente in eundem annum quarta Dictatura, annua non fuisset. Neque iterum videri potest, quarta hæc Dictatura ipso statim illius anni initio inita: nam quando ex primo illo nummo satis apparet tertiam Dictaturam non fuisse initam, nisi post aliquot anni tertij Consulatus menses, necessum est tantum temporis ex quarti istius Consulatus anno decidi ad implendum annuum tertiæ istius Dictaturæ spacium, quãtum præcedenti anno seriùs initæ deerat. Quando igitur ex his quæ iam dicta sunt planum est, tertiam hanc Cæsaris Dictaturam neque cum ipso statim tertio Consulatu, neque iterum ipso quarti Consulatus anni principio initam, quartamque Cæsaris Dictaturam in quarti Consulatus annum incidisse, relinquitur, vt extraordinarium tertiæ Dictaturæ Magistratum medio aliquo tertij Consulatus anni tempore inierit Cæsar: quam anno sequenti eo tempore quo præcedenti anno inita fuerat finitam, quarta exceperit Dictatura. Et quemadmodum tertia illa Dictatura diuersas duorum annorum partes occuparat, posteriorem scilicet tertij Consulatus & priorem quarti Consulatus, sic etiam necesse est, in eundem Consulatum scilicet quartum duas incidisse Dictaturas: ita vt Cæsar in titulis suis scribere potuerit, CONSVL TERTIVM. DICTATOR TERTIVM. & rursus DICTATOR. IIII. COS. IIII. iterum sic COS. IIII. DICT. IIII. vti in nõ vno nummo antiquo videre est. Rectè proinde tradit Dion, Cæsarem hoc anno Consulatum & Dictatorem tertiò vtrumque Msgistratum conlega Lepido gessisse: non tamen ob id intelligere videtur, simul & eodem tempore vtrumque Magistratum inisse: quod vel ex eo colligi potest, quod idem Dion postea scribit, M. Lepidum iam antea Consulem contra maiorum instituta postea etiam Magistri Equitum titulum sibi sumsisse: scilicet Cæsare tertiam iam Dictaturam sibi post victoriam Africanam decretam ineunte. Nec perperàm Hirtius scribit, Cæsarem Africa recepta quum bellum aduersus Pompeij liberos in Hispaniam adornaret, tertiò Dictatorem fuisse. Id enim fuit sub exitum anni DCCVII. quo tertium Consulatum vnà cum Lepido gerebat: quo tempore ipsum tertiam iam inisse Dictaturam credendum est, vt posteà docebimus. Ceterum qnod idem Hirtius dicit, tum Dictatorem designatum IIII, id ita accipiendum, non quòd peculiariter in eum annum designatus fuerit, sicut Consules designari solebant, sed quòd concessa sibi decennali Dictatura, in decem quodammodo annos proximos designatus videretur. Quod autem Suetonius dicit tertiam Dictaturam simul cum tertio Consulatu Cæsari decretam: & Eutropius, Cæsarem post victum Pharnacem Romam reuersum tertiò se Dictatorem & Consulem fecisse, & inde in Africam profectum, quàm sit a veritate alienũ, ex ijs quæ suprà adnotauimus facile est intelligere: maximè quum certum sit, tertiam illam Dictaturam post victoriam demum Africanam Cæsari decretam: quanquam Consulem fuisse tertiùm antequam in Africam traijceret, non est dubium. Nec magis verum videtur, quod idem tradit Suetonius, Cæsarem in tres vltimos tertij huius Cõsulatus menses alios duos sibi substituisse: cùm nec in Fastis id reperiatur, nec alius quispiam id scriptum reliquerit. Nec verisimile est Dionem qui singula vel exactissimè persequutus est, id fuisse omissurum. Hæc eò fusius aliquanto & fottassis non sine fastidio deduximus, quòd videam viros hac tempestate doctissimos, omnisque rei antiquariæ peritissimos, non satis sese his difficultatibus explicuisse: quod non tam imperitia ipsorum aut incuria accidisse existimo, quàm quòd religiosè veriti sunt, Fastorũ antiquorũ, quos ipsi interpolãdos susceperãt, auctoritati in aliquo derogare. Quod ad diem tertiæ Dictaturæ initæ attinet, vt is incertus est, ita tempus vel mensem non improbabilibus coniecturis assequi possumus. Nam quum scribat Hirtius in bello Africano, Cæsarem Africa recepta Idibus Iunijs Vticæ classem conscendisse, & tertio post die Caraleis in Sardiniam peruenisse: Item ante diem IIII. Kal Quintil. nauem ascendisse, & a Caralibus per tempestates vndetrigesimo die, hoc est, circa VI. Kal Sextiles Romam venisse: præterea quum dubium non sit, honores ipsi propter victoriam Afrcanam decretos, inter quos fuit & decennalis hæc Dictatura, ipsi quàm primùm nuntiatos, vel ante ipsius ex Africa discessum, quod satis ostendit Dion, dum dicit, Cæsarem animo tum ob rerum a se gestarum splendorem, tum ob Senatusconsulta de

se facta elato, Sardinia Romam petijsse: non est etiam dubitandum, quin Cæsar vt primùm ad vrbem venit, Dictaturam inierit, siue id fuerit ante kal. Sextiles, siue ipso statim mensis Sextilis initio: quod & ipsum Dion satis testatur, dum inducit Cæsarem in oratione quam statim post suum ad vrbem reditum in Senatu habuit, dicentem, se in omnibus quæ Reipub. caussa agenda forent Consulem & Dictatorem, in lædendo priuati loco futurum. Hinc supra ipsam Dictaturam adscripsimus SEXTIL. quod tam ad finem mensis Quintilis, quàm ipsius Sextilis initium referri potest: diem ipsum in vacuo reliquimus.

Quatuor Cæsaris triũphi. Hi quatuor Cæsaris triumphi a Carolo Sigonio viro doctissimo tertiæ Cæsaris Dictaturæ præponuntur. De his etiam sic Eutropius: Post annum inde Cæsar Romam cum quatuor triumphis ingressus. Sed nos tum propter eas rationes quas ex ijs quæ proximè adnotauimus facilè est intelligere, tum quod Dion diligentissimus obseruator scribit Cæsarem post orationem tam in Senatu quàm ad populum de suo imperio honoribusque sibi decretis habitam ceteris omnibus rebus magnificè adornatis vti par erat tot tantisque victorijs partis, quatuor continuis diebus singulos triumphos duxisse: quatuor hos triumphos tertiæ Dictaturæ subiecimus. Suetonius autem dicit actos quidem eodem mense, sed interiectis diebus.

Census a Cæsare actus. Onuphrius Panuinius vir non minùs eruditus quàm sagax, omnis antiquitatis lustrator & obseruator diligentiss. putat Censum a Cæsare anno sequenti, quarto scilicet ipsius Consulatu actum. Carolus autem Sigonius, & noster Pighius hoc anno, quorum opinioni quum & Dion & Appianus accedere videantur, maluimus & nos recensionem populi a Cæsare factam hoc loco restituere. Dion enim tradit factam statim post triumphos ante profectionem ipsius in Hispaniam, quod & Appianus prodidit.

DCCVIII. *Quartus Cæsaris Consulatus.* De quarto Cæsaris Consulatu sic habet Eutropius: Post annum inde Cæsar cum quatuor triumphis ingressus, quartò Dictator & Consul creatus, dispositoreparatòque Reipub. statu continuò in Hispaniam contra Pompeij filios profectus est. Appianus item sic: Cæsar iam quartùm Consul expeditionem contra iuniorem Pompeium fecit in Hispaniam. Plutarchus autem in Cæsare dicit, Cæsarem quartò Consulem designatum aduersus Pompeij liberos expeditionem fecisse. Ceterùm quum Dion apertè tradat, Cæsarem Consulatum hunc seriùs & sub exitum demùm anni inijsse, finito iam bello Hispaniensi, falsò scriptum reliquit Eutropius statim post triumphos quartum Dictatorem & Consulem designatum. Similiter Plutarchus & Appianus quartum Consulem, hoc est inito iam Consulatu eam expeditionem fecisse. Quanquam alioqui verum sit eo anno quo quartum consulatum gessit Pompei liberos in Hispania vicisse. Dionis autem de quarto Cæsaris consulatu verba ferè hæc sunt, primùm in indice qui libro præfigitur: Iulius Cæsar Dictator IIII Aemilio Lepido Magistro Equitum, & Consul IIII solus. Tum in ipso historiæ contextu: Eo autem tempore (*scilicet quo relicta Corduba ad Atteguam obsidendam se conuertit, quæ postea. xi. Kal. Martias in deditionem venit*) Cæsar Dictaturam gerebat, (*nimirum tertiam, vt ego interpretor*) & sub exitum demùm anni Consul (*scilicet quartum*) creatus fuit, conuocato eius rei gratia populo per Lepidum, qui tum Magister Equitum erat. Item postea de eodem quarto Consulatu: Consulatum continuò (*scilicet postquam intellexit se Consulem sine conlega opera Lepidi sui Magistri Equitum creatum*) etiam antequam vrbem intraret, accepit, non autem toto anno gessit. Sed postquam in vrbem venit, eo se abdicauit, Consulesque fecit Q. Fabium ac C. Trebonium: Fabioque extrema Magistratus die mortuo, in residuas horas C. Caninium Rebilum substituit. Hac in re dupliciter præuaricatum est a Cæsare contra instituta maiorum, quòd Consulatus non toto anno, nec reliquo anni tempore (*scilicet antequam Consulatum inijsset*) gestus est. Sed ipse viuus ac neque legibus patriæ, neque edicto quodam iussus eo se abdicauit, aliumque subrogauit. Hæc Dion. Nos itaque manifestam Dionis sententiam sequuti, adscripsimus Cæsarem Cõsulatum quartum inijsse sub mensem Quintilem, coniecturis vsi non tam necessarijs, quàm probabilibus. Neque enim videri potest, diu ante illud tempus inijsse, quum dicat Dion sub exitum demum anni Consulem creatum: mensis autem Quintilis quum septimus sit, haud absurdè dicitur annus tum ad exitum tendere. Neque iterum multò post illud tempus, quum vel ipso mẽse Aprili Cæsar bello Hispanico finem imposuerit: & victoria Cæsaris Hispanica Romam nuntiata fuerit pridie Parilium, hoc est XII kal. Maias: qua intellecta, verisimile est Consulatum illum statim Cæsari decretum, populo per Lepidum Magistrum Equitum eius rei gratia conuocato. Dicit etiam Dion Consulatum statim inijsse, antequam vrbem intraret. Addidimus in hac quarti Cõsulatus tabella, Dictaturæ honore contentum sub mensem Octobrem abdicasse, quod præter Dionem & Suetonius prodidit. Dion enim, eo quem suprà adduximus loco, sic habet: Consulatum non toto anno gessit, sed postquam in vrbem venit eo se abdicauit: Consulesque fecit Q. Fabium ac C. Trebonium. Venisse autem in vrbem mense Octobri refert Paterculus

terculus. Suetonius verò auctor est, Cæsarem Dictaturæ honore contentum, in ternos nouissimos quarti consulatus menses, binos Consules sibi substituisse. Hinc suffectum & trimestrem Consulem vocat Fabium, qui alter substitutorum fuit. ita Cæsar haud multò amplius quàm duos mẽses aut tres ad summum hunc Cõsulatum gessit.

Quarta Cæsaris Dictatura. Ex ijs quæ suprà ad tertiam Cæsaris Dictaturam verbosiùs aliquanto commentati sumus, intelligi potest, quare quartam hanc Dictaturam hoc loco statuamus. Nam quum annum tertiæ Dictaturæ præcedentis primum fuisse in cõfesso sit eius decennij, in quod Cæsari annua Dictatura decreta fuerat, quumque tam ex ipsis nũmis antiquis, quàm scriptorum antiquorum testimonijs intenderimus, Cæsarem tertiam Dictaturam sub mensem Sextilem anni præcedentis quo & III COS. fuit, inijsse: necesse est, vt tertiam illam Dictaturam eodem tempore huius anni, quo IIII COS. fuit finitam, statim exceperit quarta Dictatura, sub eundem scilicet mensem Sextilem: ita vt Cæsar simul & eodem anno COS. IIII. & Dictator IIII. fuerit: vti videre est ex ipsis illis duobus nummis, qui supra in confirmationem huius nostræ sententiæ adducti sunt. Hinc rectè Dion in indice lib. XLIII. præfixo, Cæsarem Dictatorem III. & Consulem IIII. simul prodit. quod & Eutropius sensisse videtur, dum dicit: Cæsare cum quatuor triumphis ingressum IIII Dictatorem & Cõsulem fuisse creatum. Fasti tamen Capitolini & qui eos sequuti sunt, quartam hanc Cæsaris Dictaturam cum anno sequenti, quo Cæsar V COS. fuit cum M. Antonio, incipiunt. Sed apud me potior fuit tam numismatum quàm antiquorum scriptorum auctoritas, quam hic sequi maluimus: & hæc de quarta Cæsaris Dictatura. Quod ac Magistrum Equitum attinet, Fasti tam Capitolini qnàm Colotiani produnt Magistrum Equitum hoc anno Cęsari fuisse M. Æmilium Lepidum: in qua sententia & ipse Dion fuisse videtur: nam in indice cuius suprà sæpe meminimus, sic habet: C. Iulius Cæsar Dictator IIII Æmilio Lepido Magistro Equitum. Quanquam tamen in ipso historiæ contextu aliter videatur sensisse, scilicet primùm quidem M. Antonium sibi Magistrum equitum adsumsisse, & postea in eius locum M. Lepidum substituisse, quòd Antonius Cõsulatum anni sequentis gesturus esset. Appianus autem sic disertè tradit. Cæsar acceptis ceteris honoribus, absque decennali Consulatu, in annum sequentem designauit Consules, seipsum & M. Antonium suum Magistrum equitum, Lepido iusso in Antonij dignitatem succedere, qui tum per amicos administrabat Hispaniã prouinciam. Cicero quoq; Philipp. II videtur Antonio obijcere, quòd quũ Magister equitum esset, Cæsari ex Hispania redeunti occurrerit, Consulatum in proximum annũ rogaturus, vt ipse loquitur. Et verba quidẽ Cicer. hæc sunt: Ex omnibus omnium flagitijs nullũ turpius vidi, nullũ audiui, quàm quòd qui Magister Equitum fuisse tibi viderere, in proximum annum Consulatũ peteres, vel potiùs rogares. Item paulò pòst scribit Antoniũ Cæsari ex Hispania redeunti obuiã longissimè processisse, *scilicet Consulatum in proximum annum petiturum*. Mox etiam de eodẽ Antonio: His igitur rebus (inquit) præclarè cõmendatus iussus est renunciari Cõsul. & quidem cum ipso, *scilicet Cæsare*. His cùm Ciceronis & potissimùm Dionis & Appiani verbis adductus, tum etiam quòd adsumto sibi in præcedenti tertia Dictatura Magistro equitum M. Lepido, verisimile non sit eundẽ eam dignitatem in bienniũ cõtinuasse, maximè cùm ea prius ex antiquo instituto semestris esse tantum soleret, quumq; Lepidum Galliæ Narbonensi & Hispaniæ citeriori iam præfecisset, facilè mihi persuadeo Cæsarem in quarta hac Dictatura non Lepidum, sed M. Antonium sibi Magistrum equitum adsciuisse: quem & ipsum Cæsar plurimi faciebat, cuique pro ipsius in se meritis & studio, non minus quàm alij cuiquam gratiam referre & satisfacere studebat. Ceterùm postquam M. Antonius Consul in insequentem annum designatus, eum Magistratũ deposuisset, credendum est M. Lepidum iterum in eius locũ esse factum. quod & hìc adnotauimus: Sed quia videntur Fasti Dictaturam Cæsaris cum anno demum sequenti incipere, M. Lepidum Magistrum equitum constituunt, qui iam in locum Antonij tum Consulis successerat. Hunc Cæsaris ex Hispania Triumphũ præposuimus Consulib. suffectis, quòd credendum sit Cæsarem priùs cum Triumpho Romam ingressum, quàm deposito Cõsulatu alios sibi substituerit. Hìc etiã ex Dione annotauimus Cõsules suffectos siue honorarios & XIIII Prætores hoc anno primùm creatos. addit Dion & quadraginta Quæstores esse factos: idque eò a Cæsare factum tradit, quòd aliam non haberet rationem præstandi ea quæ promiserat. Vt igitur suppeteret materia vnde pluribus gratificaretur & satisfaceret, fidemque plurib. obstrictam quàm vt per se soluendo esset liberaret, non solùm sacerdotiorum numerum auxit, sed & alios honores multiplicauit.

Magister Equitum.

Triumphus Cæsaris ex Hispania.

Cõsules suffecti.

Prætores XIIII.

Cæsar Parens Patriæ. Appianus, Dion, & alij qui honores Cæsari post victoriã Hispaniensem decretos enumerãt, inter primos recẽsent, quòd PARENS PATRIAE appellatus sit: quo titulo & alijs plerisque in nummis insignitur, præter illum qui in Fastis nostris hoc loco adpictus est: vt illo qui inter capita Cæsaris XXXI loco conspicitur, in quo legitur, CAESAR PARENS PATRIAE: tum illo qui capite nono XIII locum obtinet, primus scilicet tabulæ secundæ illius Capitis, qui sic habet: DICT. QVART. PARENS PATRIAE. Præterea & hoc addunt quòd LIBERATOR sit dictus, eoq; nomine in Fastos relatus: quòd apud Dionem est. quod IMPERATORIS

Universidad de Deusto
Biblioteca

Dictator Perpetuus.

prænomen primus acceperit: denique quòd DICTATOR PERPETVVS & Consul in decennium creatus sit. C. Caninij consulatum, quem extremo anni die in paucas tantùm horas gessit, hîc in fine ipsius anni subtexuimus. Quæ de hoc consulatu tum apud Ciceronem, tum apud alios scriptores leguntur, diligenter adnotarunt Sigonius & Onuphrius.

DCCIX.

Quia suprà in ijs quæ ad quartam Cæsaris Dictaturam commentati sumus, quũ ex antiquis numismatibus tum ex ipsis auctoribus ostendimus, Cæsarem eam Dictaturam inijsse quarto suo consulatu, nos hîc annorum numerũ quinto Cæsaris consulatui adscripsimus, Dictaturæ initio in annum præcedentem reiecto. Ex Dione hîc adscripsimus hoc anno Prætores sedecim, & Aediles Ceriales primùm creari cœptos. Nam quum quattuor prius tãtùm creari soliti essent, ijsque plebei, duo scilicet Aediles plebis, duo item Curules, Cæsar duos ex Patricijs adiecit: quos quia annonæ & rei frumentariæ præessent, Ceriales vocauit. De Aedilibus Cerialib. a Cæsare adiectis tradit & Pomponius I.C. de origine iuris. cap. II. Sedecim tamen Prætores scribit ab Augusto primùm constitutos: quod ego puto intelligi debere, quòd occiso eodem hoc anno Cæsare, vocatisque in dubium eius actionib. & decretis, Augustus postea vt & alia pleraque a Cæsare fancita, hos quoque Prætores confirmarit: hinc Iurisconsultum prodidisse ab Augusto primũ constitutos. Dion tradit Cæsarem hoc anno Dictatorem fuisse V. conlega adsumpto M. Antonio: quod ego miror. Nam vt maximè verum sit Cæsarem quartam Dictaturam inijsse & gessisse anno præcedenti, quum tamen sub mensem demum Sextilem eam inierit, vt supra a nobis demonstratum est, eaque non minus quàm præcedentes annua esse debuerit, cùmque Cæsar interfectus sit Idibus Martijs, hoc est, menses duos cum dimidio post quintum consulatum initum, & tres vt quàmminimum menses ante finitum quartæ dictaturæ annum, quintæ Dictaturæ titulo vti nullo modo potuit. Quare putarim in exemplaria Dionis incuria librariorum mendum irrepsisse, & perperàm pro *Consul* scriptum *Dictator*, maximè cùm dicat, cum conlega M. Antonio. Certum est enim Magistrum equitum non dici conlegam Dictatoris, sed conlegas appellari eos, qui æquali potestate simul funguntur, vt Consulum, Prætorum, Aedilium, Censorum alter alteri conlega est. Magister autem equitum secũdus potius a Dictatore, ipsiusque quasi vicarius. idque eó magis suspicor, quòd index sepius nominatus ponat Cæsarem Dictatorem cum M. Lepido Magistro equitum: Consulem autem V. cum M. Antonio. Cuius consulatus in ipso contextu nulla alioqui fit mentio, nisi obiter in fine ipsius libri, vbi dicit, Cæsarẽ Dolabellam pro se Consulem esse iussisse, Antonio consulatum ad finem eius anni gesturo, quum tamen prius nusquam dixerit, Consulem eo anno cum Cæsare fuisse creatum aut designatum. Quare hîc legendum existimo, Cæsarem anno sequenti COS. V. fuisse, adsumpto conlega M. Antonio: quum certum sit M. Antoniũ hoc anno nõ fuisse Magistrum equitum. Rectius Fasti Capitolini & Colotiani produnt Cæsarem Dictatorem IIII. cum M. Lepido Magistro equitum. Nam quanquam verum sit. Cæsarem eam Dictaturam hoc anno non inijsse, certum est tamen eam nondum fuisse absolutam, imò ne ijs quidem quibus interfectus est Idib. Martijs. Quamobrem nos quinto huic Cæsaris Consulatui Dictaturam Cæsaris Perpetuam subiecimus, antiquorum scilicet numismatum auctoritatem sequuti, quibus Cæsar non semel Cos. V. Dictator perpetuus appellatur Veluti primùm duobus illis qui inter capita Cæsaris loco XXXIIII. & XXXVI. expressi sunt, quorum vni sic inscribitur, CAESAR AVGVR IMP. SEXT. COS. QVINT. & parti auersæ quæ est cap. IX. loco XXII. inscriptum est. PONT. MAX. DIC. PERP. Alteri verò sic. CAESAR COS. QVINT. DICT. PERP. Deinde in duobus alijs qui sunt eodem Cap. IX loco XX. & XXIIII. sic legitur CAES. AVG. PONT. MAX. COS. V. DIC. PERP. &, C. CAESAR. COS. QVINT. IMP. SEX DIC. PERP. Nam quum vt suprà a nobis relatum est, & Appianus tradidit, Cæsari sub finem anni præcedentis ex Hispania Romam reuerso, confectis iam omnibus bellis ciuilibus, præter alios honores Dictatura perpetua cum Consulatu in decennium decreta esset, delatis ad se ab vniuerso Senatu præeuntibus Coss. Q. Fabio & C. Trebonio (quos sibi suffecerat) honorificentissimis Senatus decretis, præter Consulatum in decennium reliquos honores admisit: seque in annum sequentem cum M. Antonio Cos. V designauit: relictoque cum quarto Consulatu quartæ Dictaturæ titulo, quanquam nondum absoluto quartæ Dictaturæ anno, & reuera adhuc IIII Dictator, statum tamen cum ipso quinto Consulatu Dictatoris Perpetui titulo vti cœpit: sicuti nummi a me adducti planum faciunt. Magistros autem Equitum duos adscripsimus, tum ex Fastorum Capitolinorum, tum ex Dionis sententia, tradentis, Cæsarem, qui duobus annis quibus se Parthici belli caussa abfuturum credebat, Dictaturam gesturus erat, hoc scilicet præsenti & sequenti, in locum M. Antonij qui Consulatum toto ex anno gesturus erat, & M. Lepidi cui paludato in Galliam Narbonensem & Hispaniam citeriorem prouincias sibi a Cæsare decretas proficiscendum erat, duos alios Magistros Equitum suffecisse: Octauium scilicet nepotem ex sorore in annum præsentem, vt cùm M. Lepidus paludatus exisset, iniret: alterum Domitium Caluinum in insequentem annum, qui Octauio succederet. Sed is interfecto Cæsare non inijt. Quia ex Fastis Capitolinis certum est, Cæsarẽ ouantem ex Al-

Prætores XVI.

Aediles Cæriales.

Perpetua Dictatura Cæsaris.

Ouatio Cæsaris.

Cæsaris cædes.

ex Albano monte vrbem inuectum VII. Id. Februar. inito iam quinto Consulatu, sumtoque iam Perpetui Dictatoris titulo, vt iam ostendimus, scripsi Cæsarem Dictatorẽ perpetũ & Cos. V. ouasse. Ceterùm quum auctor Fastorum Capitolinorum videatur maiorem rationem habuisse Dictaturarum Cæsaris quàm Consulatuum, neglecto Cõsulatu solùm adscripsit Dictatorem quartùm ouasse: quòd putauit sufficere ad intelligendum quo anno ouarit, maximè quum videatur omnes Cæsaris Dictaturas cum ipso anni initio incipere, quanquam alioquin verum sit Cæsarem etiamnum IIII. Dictatorem ouasse, quòd nondum finitus erat quartæ Dictaturæ annus, vt superius adnotauimus.

